COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXIV. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Iof. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Atti dell' Accademia delle Scienze di Siena. Tomo V. In Siena. MDCCLXXIV. Nella Stamperiaa di Luigi, e Benedetto Bindi. Con Licenza de' Superiori. 4. mai. pagg. 400. tabb. aen. 4.

i. e.

Acta Academiae Scientiarum Senenſis. Tomus quintus.

Si huius Actorum voluminis paullo ſeriorem damus epitomen: id non noſtra ex culpa, ſed, quod nimis ſero ad nos venerint, factum eſt. Inſtituti huius ratione atque priorum tomorum horum in antecedentibus noſtrorum commentariorum *) voluminibus ſumma cum Lectoribus communicatis, qui in hoc continentur tomo, perſequimur tractatus.

1) DANIELIS MELANDRI, Aſtron. Prof. Vpſal. p. 1. *meditationes de machina huius mundi, eiusque conſervatione per vires in initio conceſſas.*

*) v. comm. noſtr. IIdae decad. indic. triplic.

p. 27. 2) PAVLI FRISII, in Mediolanenſi Gymnaſio Matheſ. Prof. *de problematibus quibusdam Geometricis.*

p. 35. 3) LEONARD. XIMENIS *de obliquitate eclipſeos eiusque diminutione ſeculari 29″, ex obſeruationibus ſolſtitialibus, in meridiano Florentino ann. 1755. et 1756. factis deducta.*

p. 55. 4) GREGORII FONTANAE ſchediaſmata 10;
p. 69. continentia 1) *Problemata Aſtronomica;* 2) *theo-*
p. 71. *remata ad calculum integralem ſpectantia.* 3) *theoro-*
p. 76. *mata de incommenſurabilibus.* 4) *de problemate quodam atmoſphaerico.* 5) *de trianguli ſphaerici dimenſione.* 6) *de binomii Newtoniani indicem rationalem*
p. 83. *habentis euolutione.* 7) *de motu aequabiliter accelerato.*
p. 88. 8) *de motu proiectorum in parabola Apolloniana.* 9)
p. 97. *de phaenomeno viſus:* Cauſam, cur obiectum vno oculo inſpectum decima tertia parte minus videatur eodem, ſi caeteris paribus, duobus oculis inſpicitur, a BVFFONO propoſitam falſam eſſe docet Noſter. Fingit BVFFONVS neruorum opticorum vnionem, quae ſub angulo 114° fiat, rationem huius phaenomeni eſſe, quod quidem Cl. FONTANA ex legibus
p. 103. mathematicis et formulis negat. 10) *disquiſitionem, an vires lunae et ſolis in Barometra agere, eorumque altitudinem mutare poſſint.*

p. 116.

p. 129. 5) EIVSD. *de progreſſibus mathematicis* GIROLAMI CARDANI et BONAVENTVRAE CAVALIERII.

p. 140. 6) IOSEPHI BALDASSARI *obſeruationes de acido vitriolico, puro, nec combinato, naturaliter concreto.* Inuenit illud Cl. Auctor in cauo ſubterraneo prope a Thermis a S. Philippo dictis in regione

gione Senenſi ſitis. Scaturiunt thermae ex monte, quondam igniuomo, cuius rei teſtimonium dant lauae et alia producta vulcanica. Antrum ſubterraneum in fundo offert Sulphur naturale cryſtalliſatum, quod etiam oſſa animalium, ramos et folia arborum cruſtae inſtar inueſtit. In huius antri pariete congeriem minimarum, lanugini ſimilium, cryſtallorum albiſſimarum vidit, quae linguae ſaporem acidum, ſpiritui Vitrioli ſimillimum, impreſſerunt. Aquae immiſſa pars huius Salinae congeriei, omnes ſalinae partes ſoluebantur, nec, niſi lapideae inſolutae et inſipidae remanebant. In ipſo antro erant etiam exhalationes ſpiritus ſulphurei volatiles, e quibus condenſatis ipſum ſulphur naturale oriatur, et mercurius in barometro, qui in aëre libero 12° ſupra punctum glaciale iuxta ſcalam REAVMVRII eleuatus erat, vſque ad vigeſimum gradum adſcendit. Experimentis deinde demonſtrat illam lanuginoſam ſalinam maſſam, verum eſſe acidum vitriolicum purum. Deinde tophos, ſeleniticum et calcareum illius antri, vt et quaſdam in confiniis creſcentes plantas, *Smirnium perfoliatum*, *Theſium linophylum*, *Siſymbrium Sophiam* deſcribit.

7) FRANC. CALVRI *de quodam ſic dicto hermaphrodito.* Homo, *Auguſtus Broli* dictus, ab Auctore curioſius quoad partes externas deſcribitur, in quibus omnibus mari ſimilis erat, praeter barbam, cuius loco tenui tantum myſtace inſtructus erat. Partes genitales monſtroſae offerebant penem paruum, praeputium et glandem imperforata; ſcrotum et teſticulos inuiſibiles, ſed loco illius rimam, foramine praeditam, e quo vrina et aeſtus venerei tempore ſperma emittebantur. Patet igitur, hunc hominem non hermaphroditum, ſed marem monſtroſum fuiſſe: id quod Cl. Auctor vberius, p. 167.

commemoratis fere omnibus, ab Anatomicis descriptis hermaphroditorum exemplis, docet.

p. 203. 8) IO. IAC. FERBERI *epistola ad Cl.* IO. ARDVINI *obseruationes mineralogicas et oryctographicas continens* *). De montium catena, quae Italiam a Germania diuidit, agit: iisque quaedam addit de montibus Salisburgensibus et Helveticis. A Verona vsque ad Neomarcum montes calcarei, lapide calcareo albo primum, rubro deinde, tum cinereo stratoso componuntur, quorum montium vallem Athesis fluuius percurrit. Post Neomarcum montes Porphyrite, qui Lauae vulcanicae admodum est similis compositi, vsque ad Brandsol extenduntur: deinde ex Corneo fissili (*hornschiefer*), post vrbem *Sterzing* calcarei iterum, vel corneo lapide mixti montes incipiunt: atque hi prope a *Nasereit* et *Lermas* in Alpes altissimas calcareas eleuantur. Circa vrbem *Fuessen* alpes decrescunt et in planitiem versus Augustam Vindelicorum expanduntur. Hac montium catena systema Cl. ARDVINI montes calcareos lapide corneo esse superstructos **) egregie confirmari proponit Cl. Auctor. Idem etiam in montibus Bohemiam a Saxonia diuidentibus, vt et in summis Hercyniae iugis, in alpibus Helueticis et alibi conspici ait. Hic simul monet schistum micaceum et quarzosum, (s. *Gneissum* Nostratium) et schistum argillaceum purum, sensu oryctographico, quoad primaeuitatem et situm in montibus, conuenire; nempe vtrosque Granitae esse superimpositos. Ita enim interpretamur Cl. Auctoris verba, dictos lapides *non vt species, sed vt varietates differre.*

p. 214. 9) EIVSDEM *epistola altera*, in qua quaedam in priori breuius dicta, quae ARDVINI sententiae videban-

*) vid. comm. nostr. Vol. XX. p. 244.
**) vid. ibid. p. 247.

videbantur contraria, clarius explicat. Attinent ea ſenſum vocis *primigenii*, quam Cl. Auctor relatiue ſumi vult, nempe montes ſchiſtoſos et graniticos prius reliquis formatos eſſe. Deinde concedit, inveniri interdum Graniten ſupra ſchiſtum, ſed hunc eſſe Vulcanorum productum, atque ab eo, qui montium primaeuorum nucleum conſtituat, quoad aetatem plane diuerſum. Subiungit, Baſaltem omnem, et Saxonicum, ſibi videri igne productum; atque Graniten, Porphyriten, Schiſtum micaceum aliosque lapides montium primaeuorum in argillam fatiſcere. Quam quidem poſteriorem obſeruationem noſtra etiam experientia confirmare poſſumus.

10) IO. ARDVINI *tentamen de lithogonia et orognoſia**). Praemiſſa, alibi**) iam indicata, diuiſione montium, Cl. Auctor hic inprimis de montibus primaeuis agit, eorumque partes conſtitutiuas atque characteres foſſilium et lapidum, qui eos componunt, indicat: deinde partes conſtitutiuas cornei fiſſilis primigenii diſquirit, vt eius a reliquis lapidibus diuerſitas inde pateat, et denique obſeruationes proponit de ſchiſto bituminoſo Idrienſi. p. 228.

Corneum fiſſilem, qui ex Talco et Quarzo compoſitus ſit, et ſchiſtum argillaceum, Graniten, Porphyrum, Serpentinum, Iaſpidem, lapidem corneum, Quarzum, quasdam Baſaltis ſpecies et Trapezium, aliosque lapides vitreſcibiles componere p. 242.

*) Animaduertimus, has duas Cl. FERBERI epiſtolas, vt et Cl. ARDVINI tentamen etc. in Germanicam linguam verſas contineri in collectione, cui titulus: *Sammlung einiger mineralogiſch - chymiſch - metallurgiſch - und oryktographiſcher Abhandlungen, des Herrn* IO. ARDVINI *etc. Dreßd.* 1778. 8.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 247.

hos montes; atque vitreſcibilem eorum naturam, ſingularem mixtionem, irregularem ſitum, venas et rimas, defectus petrefactorum, indicare putat Cl. Auctor, hos montes ignis vi et fuſione materiarum lapides componentium ortos eſſe. Ad hos primo vos montes, tanquam alterum ordinem primae claſſis, refert etiam montes ſtratoſos metalliferos, priores in decliuiis cingentes: quorum originem mixtam eſſe iudicat, partim ab igne, partim ab aqua deriuandam: etenim effecta ignis et aquae vel ſeparatim, vel alternatim, vel ſine ordine mixta conſpici. Nonnulla enim loca horum montium componuntur ex lapidibus vitreſcentibus, vt montes primi ordinis: alia ſunt ſtratoſa, eorumque ſtrata vel ex vna lapidis ſpecie, vel ex pluribus componuntur: ex lapide arenaceo, Gneuſſo, Calcareo, Argilla, Marga, Schiſtis varii generis, aliisque terris. Situs regularis horum foſſilium, et petrefacta plantarum et piſcium et conchyliorum in iis indicant mutationes quondam, a mare factas; maſſae autem irregulares lapidum vitreſcentium, quae partim totos montes conſtituunt, ſub ſtratis eorum reiacent, variaque directione et ſitu, a vi ignis agente ipſas, ortas eſſe docent. At enim vero in Gneuſſo nunquam inueniuntur petrefacta, atque maſſae irregulares ſub ſtratis iacentes indicare nobis videntur, ſtratoſos montes, montibus primi ordinis eſſe ſuperimpoſitos. Praeterimus alias horum montium proprietates, quas Cl. Auctor recenſet, vtpote quas plurimis iam notas eſſe cenſemus. LINNEI hypotheſin, qua aquae ſoli origo horum foſſilium tribuitur, et Saxa aeui filii dicuntur, refutat Cl. Auctor. Atque cryſtallos in rimis et cauernis montium primaeuorum eſſe partes lapidum vitreſcibiles aqua ſolutas, atque aliunde in has rimas deductas: attractionem particularum conſtituentium ad ſe inuicem, cauſſam cryſtalliſ-

ſalliſationis eſſe, eodemque etiam modo ſalia in cryſtallos coire, et ſtalactitas formari.

Eum ſolum ſchiſtum primigenium eſſe aſſe- p. 260.
rit, qui ex Quarzo et Mica ſ. Talco compoſitus ſit. Nonnunquam Talcum maximam ſchiſti partem efficit, atque tunc Quarzum vel in venis, vel hinc inde in maſſis immixtum eſt. Nonnumquam Quarzum copioſius ineſt, atque inde Corneus fiſſilis et lapis corneus oriuntur. Cl. Auctor partes conſtitutiuas omnes vitreſcentes dicit: id tamen ſenſu ſtrictiori de talco et mica dici non poteſt *). Opinionem ſuam Cl. Auctor confirmare ſtudet vitro factitio, quod ſub terra demum in lamellas, micae metallicae ſimiles, fatiſcat. Nos tamen hanc obſeruationem parum probare putamus: non enim ad ſtructuram, ſed ad mixtionem eſt reſpiciendum. Sibi perſuaderi non poſſe ait Cl. Auctor, acidum vitriolicum quodam modo cum argilla iunctum, Talcum, Micam, Asbeſtum producere: ſed potius, hos lapides igne productos eſſe putat. At, ſi vel concederemus hanc originem, tamen partes conſtitutiuae diuerſae his lapidibus inſunt: nempe in Mica, argillaceae metallicis mixtae; et in Talco et Asbeſto partes terreae, quae ſalis amari baſin conſtituunt: has enim analyſis indicat.

Schiſtum hunc montes conſtituere putat Noſter ab imo fundo, vſque ad ſumma cacumina, neque vllibi alii lapidi ſuperimpoſitus, neque ex ſedimento vel inſpiſſatione aquae ortus eſſe videtur: Atque foſſilia in venis, rimis et cauernis eiusdem retenta vel vnius cum ipſo eſſe originis, vel poſtero tempore orta. Saxa virideſcenti ferruginea, vel nigra, ferro penetrata, ſtratis ſchiſti vario modo immixta, illaque diſſecantia Noſter exploſione Vulcani

*) vid. MEYERI tentamina in actis Berolin. phyſ. pag. et comm. noſtr. Vol. hoc p. 204.

cuiusdam ex intimis montis receſſibus eiecta, et deinde in foraminibus, antris et rimis, hoc ſubterraneo incendio productis, cum lapide montis, conglutinata eſſe putat. His propoſitis, ea ſchiſtorum genera indicat, quae recentioris ſunt originis, atque priori ſuperimpoſita, ea ſemper Quarzo carent, atque ex argilla, mica, et calcareo ſunt compoſita. In hoc ſchiſti genere veteres Hetruſci cupri et plumbi fodinas egerunt. Schiſti arenacei, lutoſi et bituminoſi a ſchiſto primigenio differunt in eo, quod huic ſemper ſint impoſiti, neque imum montium fundum attingant; deinde compoſitio et ſitus, vt et praeſentia petrefactorum, eos praecipitatione ex aqua ortos eſſe demonſtrant. His ſubiungit Cl. Auctor loca, vbi ſchiſtus primigenius montes componit, atque obſeruationes addit, quas in montibus Vicentinis, vſque ad principatum Trento inſtituit, in quibus ſchiſtus multoties nudus conſpicitur. Argillam albam Vicentinam, ad vaſa porcellanea adhibitam, eſſe ex ignis vi ſoluto ſchiſto argillaceo ortam demonſtrare ſatagit.

p. 2. Schiſtum bituminoſum Idrienſem igne quoad colorem mutari expertus eſt, extus enim rubeſcit, intus autem carbonis inſtar nigreſcit: atque hac vſtione apparet, illum nihil eſſe, niſi congeriem argillacearum, limoſarum, micacearum ferro mixtarum particularum, quibus, ante vſtionem, bitumen, mercurius et ſulphur mixta erant. Vſtione ferrum cum phlogiſto vnitur, mineraliſatur, ideoque magnete attrahitur. Haec diſquiſitio docet, Idrienſem ſchiſtum ab eo, quem ſupra Cl. Auctor deſcripſit, differre, neque primaeuum eſſe. Interim concedit eundem ad alterum ordinem lapidum primae claſſis referri poſſe, atque idem etiam valere de aliis bituminoſis lapidibus. Generatim omnia bituminoſa foſſilia ex mari orta eſſe, ideoque eadem non

origine

origine prima esse mineralia, sed ex vegetabili et animali primum ortum duxisse. Ex mari hanc esse deriuandam atque acidum nitri aliquid ad bituminis originem contribuisse: quae quidem ex chemica analysi probari addit.

In collectione supra*) indicata Cl. Auctor vlterius exemplis et experimentis demonstrat, plurimarum terrarum et lapidum, pauciſſimis exceptis, colores a ferro produci, atque idem ferrum in terra argillacea viridi pictoria coloris cauſſam esse, quam alii, vt Cl. BERTRAND, cupro tribuerunt, ac deinde etiam igne naturali multas crystallos oriri, quarum satis notatu digna exempla Cl. Auctor refert.

II) DOMINICI BARTALONI, secretarii Academiae, *obseruationes supra Vesuuium.* Prius de Tellure generatim, de mechanismo accensionis, de montibus igniuomis in genere, quam de Vesuvio agit. Tellurem in tres partes diuidit; priorem cruſtam s. superficiem, in qua plantae nascantur, et quae non duodecim pedibus profundior sit, esse massam terrestrem, mixtam ex omni genere terrae, plantarum et animalium putrefactorum: alteram lapideam, in qua minerae inueniantur; et tertiam interiorem, quae nucleum telluris constituat, et nobis plane incognita sit. Nimis ampla oratione vtitur Noster, cognita satis de montium ratione differens. p. 301.

In montium stratosorum viscеribus oriri Vulcanos, postquam ab aëre fixo, quem primum motorem in corporibus mineralibus et cauſſam cohaesionis eorum dicit, ex cancellis suis quacunque ex cauſſa soluto, efferuescentia partium terrestrium excitata sit, cui elementum igneum maximam et efficaciſſimam opem ferat. Cauſſam vero, cur aër et ignis efferuescentiam ineant, esse aquas pluuiales, quae p. 313.

*) vid. p. 391.

quae per rimas montium in cryptas penetrent, atque cum ſalibus vnitae, bitumina ſoluant, et ſic motum cieant.

p. 328. Exponit deinde ſtatum praeſentem et antiquum Veſuuii, acceſſiones eius et phaenomena: et denique examinat, num materiae, in incendiis Veſuvii expulſae, aliunde illic deferantur, an ipſa Veſuuii maſſa iis ſufficiat, quam poſteriorem rationem Noſter ample ſatis demonſtrat. Ampliorem epitomen huius diatribes dare ideo noluimus, quum ex aliis libris paſſim Vulcanorum natura et diuerſitates iam cognitae ſint.

II.

Zoologiae Danicae ſeu animalium Daniae et Norvegiae rariorum ac minus notorum icones, editae ab OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Faſciculus primus, continens Tab. I.—XL. Havniae, Typis Mart. Hallageri, 1777. fol. plagg. I.

III.

Zoologia Danica ſeu animalium Daniae et Norvegiae rariorum ac minus notorum deſcriptiones et hiſtoria. Volumen primum. Explicationi iconum faſciculi primi eiusdem operis inſeruiens. Auctore OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Havniae et Lipſiae, ſumtibus Weygandinis. MDCCLXXIX. plagg. 7⅞.

Coniungimus haec duo Cl. Auctoris opera, quae, vt tituli et ratio indicant, a ſe inuicem ſeparari nequeunt. Vtraque inſignem Cl. Auctoris ſolertiam ad augendam ſcientiam naturalem, maximam obſer-

obſeruandi artem et ſollicitudinem demonſtrant, atque animalia noua, a Cl. Auctore primum recte deſcripta, et iconibus fidis illuſtrata tradunt. Icones, quas indicamus, viuis coloribus pictae, et magna diligentia et arte compoſitae ſunt. Laudandum eſt etiam Noſtri conſilium, quod icones et deſcriptiones ſeorſim, formaque chartae diuerſa publici iuris fecerit, vt ſumtibus parceretur, tum praeſertim illud, quod ea tantum animalia, quorum vel nulla, vel falſa figura exſtat, iconibus exprimi curauerit.

Faſciculo praeſenti continentur, duobus piſcibus, *Callionymo Dracunculo* et *Lyra* exceptis, nonniſi animalia e Vermium claſſe, pleraque *marina*, pauca *inteſtinalia*, forma, generatione et oeconomia maxime ſingularia. Placet, quae de his ſcripſerit Cl. Auctor, referre: „Mens haeret, an ingentem figurarum varietatem, an inhaerentes cuiuis genti notas characteriſticas, aut cuiuslibet ſpeciei differentiales maxime miretur – mirabunda vero numen benigniſſimum veneratur. Quae ſimplicitas in *Faſciolarum* variantibus ſpeciebus! Quae in *Lernaeis* admirabilis partium et varia compoſitio! Quae in *Trichodis* et *Vorticellis* ſtupenda organorum exilitas! Qualis pompa in *Holothuriis!* Quae pulchritudo in *Doridibus!* Quanta organorum profuſio in Nereidibus!“ Legant igitur naturae cupidi, atque videant, quae Cl. Auctor ſummo ſtudio et ſaepe cum vitae periculo detexit et collegit. In praefatione etiam inſtrumentorum, quibus in colligendis et obſeruandis animalibus vſus eſt Cl. Auctor, mentio fit. Complectitur hoc volumen ſeptuaginta tres animalium ſpecies, quorum nomina in *Zoologiae Danicae prodromo* *) data ſunt. Nos, cum libris iconographicis nemo hiſtoriae naturalis ſtudioſus

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 302.

dioſus carere poſſit, hic notatu dignioribus quae tantum proprietates exempli loco proponamus.

p. 3. *Holothuria elegans* Tab. I. interiora animalis et inteſtina tab. II. et III. picta traduntur. In fundo animalis annulus articularis albus eſt, a quo deprehendere videtur veſicula pellucidiſſima, ouali, ſubtiliſſime ſtriata, in cuius fundo transparet lapillus albus. Qualis huius veſicae vſus ſit, Cl. Auctor non indicat. In maiori ſpecimine Holothuriae huius inteſtina coeca atomis ſphaericis farcta vidit: quae Noſter, an *ouaria?* alia corpuſcula ſphaerica albida illis maiora, gelatino hyalino ſolito cincta paſſim

p. 5. circa inteſtina reperit, an *ouula?* Monet Cl. Auctor, deſcriptionem *Holothuriae tremulae* LINN. e GVNNERI (act. Holm. 1767. t. 4. f. 3.) hanc ſiſtere, quae tamen, quamuis LINNEVS contrarium dicat, a BOHADSCHII *Hydra* differat: neque motum tremulum vnquam vidit. Praebet autem eadem idea phaenomenon conſpiciendum, quod BOHADSCHIVS in ſua *Hydra* vidit: totum nempe inteſtinum crassum cum oeſophago et adhaerente pinguedine excreuit. A BOHADSCHII hydra differt, quod nullis omnino tentaculis cylindricis ventralibus inſtructur, et quod veſicam, ſupra dictam, habeat.

p. 14. *Aſcidia mentula*, tab. VIII. depicta, (*Pudendum* 2. RONDELET piſc. 2. p. 129.), eſt ſingulariſſima. Maſſa enim informis cinereo flaueſcens quadratum irregulare ſiſtens; ſubſtantia craſſa gelatinoſa, ſubpellucida, reiectamentis corallinarum et fucorum paſſim obſita. Bina ſpecimina Noſter reperit: in alterius cute tria indiuidua *Mytili diſcordis* Zool. d. prodr. no. 3014. nidum ſibi fecerant, ſeu potius gelatina pellucida inuoluti erant, viui adhuc, et quaſi abſque moleſtia, ſingulari ſatis phaenomeno. Cultro gelatinam diſſecuit, Mytilumque pulcherrimum, rariſſimumque, qui ſeſe ligamentis capillaribus cuti affixo-

affixerat, extraxit Cl. Auctor. Alteri extus insidebat Ascidia iunior coccinea.

Tabula IX. *Trichodae*, *transfuga*, *Inquilinus*, et *Lyncaster* depinguntur. Prioris indiuidua Cl. Auctori copula iuncta visa sunt: antica pars adeo posticae alterius incubuit, vt frons alterius, qua parte sinus conspicitur, affixa esset, sicque firmiter cohaererent. Post separationem organum quoddam porrectum momento temporis conspiciebatur. Monet tamen hanc obseruationem penitiori indagatione, meliori microscopio instituendam et repetendam esse. p. 16.

Holothuria squamata, tab. X. depicta, inter *Patellam*, *Ascidiam* et *Doridem* ambigere videtur: prima facie *Patellam* mentitur, eius enim instar saxis adhaeret, tegumento duro, squamuloso conditur, saxoque soluta, superficies infima Molluscum glabrum, quales pes in *Limace*, papillis, minimis cinctum prodit: penitius inspicienti in superficie conuexa, binae eleuationes remotae, aperturas *Ascidiae* reuocant; denique altera eleuatio aperitur, octoque tentacula alba pinnatifida sese pandunt, proque lubitu singulatim mouentur, signaque *Actiniae* simulant. Rarissime vidit Noster squamulas secedere, areamque nudam apparere, ac efflorescentiam, vti *Dorides* minari, rursusque recedentibus squamulis tegi. p. 20.

Pennatulam mirabilem, quam Cl. Auctor, quantum ex descriptionibus et figuris aliorum colligit, primus viuam inuenit, tabula XI. sistit. Videtur Nostro potius animalculorum concatenatio, quam animal: ac propter osticulum calcareum *Pennatulis*, non *Gorgoniis*, vt Cl. PALLAS coniecit, accensenda est. Basis eiusdem fundo argilloso infixa est, neque libere in aqua vagari posse videtur. Extra aquam *Hydrae* sese contrahunt, ac osticulum mera carnosa substan- p. 23.

ſubſtantia tecta videtur; aquae vero immiſſae nec tentacula pandunt. *Pennatula Sagitta* LINN. huius eſt mera varietas.

p. 28. In *Cardio echinato*, tab. XIII. et XIV. figuris delineato egregiis, animal falciforme ſeu pediforme dicit, quum maſſa principalis pedis imaginem et vſum praeſtet: pulchre miniata eſt, carnoſa, et rotundata. Tibia et planta aequales, latere angulum efficiente ſubſulcatae, planta acuminata. Baſin cingunt lamellae ſtriatae, quae nobis pulmonum vicem habere videntur. *Siphones* breues cirris longis pectinatis cinguntur.

p. 30. *Aſcidia Ruſtica*, tab. XV. repraeſentata, et Spongia PLANCI conch. 109. tab. 7. cuius pulpamentum ab Italis editur, eſtque huic ſimile pulpamentum *Aſcidiae*, quam ſub nomine *Alcyonii Phyſeos* deſcripſit FORSKÅLIVS anim. p. 129 *),

p. 32. *Pedicellarias* tres, noua a Noſtro detecta animalia, tab. XVI. ſiſtit: habitant eae inter aculeos *Echinorum*, et nudo oculo ſunt viſibiles: aliae Tridentis Neptuni, et hae maiores ſunt, aliae ceraſorum pedicellatorum formam offerunt. Eodem loco ſemper affixa manent, nec alibi, quam in apice capituli motum quendam obſeruauit Noſter: hoc aperiri et claudi, lobi et ariſtae ſeiungi et rurſus apice vniri poſſunt. Pedicellariam tridentem Cl. BASTER opp. ſubſec. Vol. I. p. 139. pro proboſcide tricuſpidata

p. 47. *Echini* ſumſit. Occaſione deſcriptionis *Actiniae rufae*, quae Tab. XXIII. delineatur, ſynonymiam *Actiniarum* corrigit Noſter.

p. 54. *Amphitrites auricomae*, tab. XXVI. elegantes depictae, tubulum primus reperit in mari Islandico Cl. KOENIG, et LINNEO miſit, qui eum ob ſubſtantiam arenoſam *Sabellam granulatam* dixit: iure quidem ob tubulum; ſed tum *Sabella Penicillus* eſſet remouenda. *Nereis cirroſa*, tubulum quidem arenulis

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 516.

nulis permixtum habens, locum huius occuparet; animal autem aliud genus poſcit, cum nec *Nereis* ſit, nec os ringens habeat, *Sabella*que *ringens*, hoſpite diuerſiſſimo inſtructa, aeque ſeponenda erit. Igitur totum *Sabellae* genus ordini teſtaceorum minus bene accenſeri, ſed ipſum diſiungendum potius, ac iuxta animalium fabricam ſpecies aliis generibus ſubordinandae videntur. Ob tentacula flexuoſa et pendula, corporis ſimilem ſtructuram, ac tubum fragilem generi *Amphitrites* hunc vermem adpoſuit Noſter: cui generi etiam *Nereis Belgica* PALLASII *miſcell.* p. 117. t. 9. f. I. – II. ſubmittenda eſt, cui *auricoma* perquam eſt ſimilis.

Iam in *Zoologiae Danicae prodromi* recenſione indicauimus, Cl. Auctorem diſtinguere inter *Faſciolas*, quae omnes et ſingulae in interaneis animalium inueniantur, et inter *Planarias*, quae in aquis degant: hic traduntur deſcriptiones et icones *Faſciolarum* in piſcium, nempe *Cotti ſcorpii*, *Percae Luciopercae* et *cernuae*, *Gadi Eglefini*, *Blennii viuipari*, *Cyprini Bramae*, et *Eſocis Lucii* inteſtinis primum a Cl. ZOEGA, dein ab Auctore repertae, atque in ſingulis piſcibus, ſpecies diuerſae, certis et eſſentialibus ſignis diſtinctae, habitant; quod quidem inventum magnam omnino in theorias de generatione animalium habere videtur influxum, atque maximam mereri attentionem. Nonne inde oppido ſequi videtur animalia haec in ipſis animalibus generari, neque ab extus in piſces ingredi? Vana videtur igitur eorum opera, qui vermium, in aliis animalibus habitantium, praeſentiam in aquis detegere ſtudent. Atque e re omnino videtur, vt ex hoc ſatis ſuperque, aliorum etiam obſeruationibus confirmato phaenomeno, colligant, quae ſibi proſint, medici in vermium, homini infeſtorum, indaganda natura, et remouenda noxa. Obſeruationes Cl. Auctoris, p. 68.

praeter deſcriptiones indicatarum Faſciolarum, *Faſciolam Lucii* attinent: plures enim in ventriculo, duas in inteſtini initio, omnes rubras, duasque vncias longiores; poro et laterali, et terminali certe affixa inuenit. Interanea in quibusdam pellucent, in aliis obſcura ſunt; in tres areolas diuidi poſſunt: primam occupat inteſtinum craſſius, ſubflaueſcens in magnum et contiguum ziczac ductum; ſecundam tres veſicae maiores albicantes, remotae, quales in *Echinorynchis*, ſeries ouulorum diſpalatorum ab vtroque latere vtriuſque areolae: in tertia conſpicitur inteſtinulum recta extenſum, nigrum, excrementis repletum, in extremitate in aperturam parvam deſinens.

p. 84. *Aſcidiam conchilegam*, tab. XXXIV. delineatam cum *Microcoſmo gelatinoſo* LINN. muſ. AD. FRID. praeter magnitudinem, fere conuenire oſtendit.

p. 86. *Vorticella putrina*, t. XXXV. depicta, in aqua marina tanti foetoris, vt minima gutta, microſcopio ſuppoſita, obſeruatori feruidiſſimo nauſeam moueat, totam fere hiemem degebat, aqua licet triduum

p. 89. gelu conſtricta, in regelata reuiuiſcebat. Quem in *Zool. d. prodr.* p. 2601. cum *Echinorynchi lacui*, qui in *Gado* inuenitur, coniunxit, nunc in inteſtino *Pleuronectis Limandae* repertum, *Echinorynchum attenuatum*, globiferum, corpore aequali flauo, collo filiformi, nominat. *Sphaerula* eius conſtat membranula glaberrima, in qua pellucebat duplex filamentum: an organum, quaerit Noſter, cono ſ. proboſcidi retrahendae inſeruiens? Caeterum figurae tres tab. XXXVII. hanc ſpeciem ſiſtunt. Eadem tabula *Echinorynchus candidus*, cuius mares et feminas diſtinctas Noſter vidit, et *Echinorynchus lineolatus* delineantur, de quibus plura lectu digniſſima Noſter habet. Caeterum huius ſingularis vermis LEEVWENHOEK primus meminit, anticam corporis partem

tem et proboſcidem depingens; dein Cl. PALLAS *in elench. Zooph.* nomine *Haerucae*, et *Taeniae haerucae* in XIX. Vol. nov. comm. Acad. Petr. *) eandem deſcripſit: quae vero an ſit ab hic deſcriptis ſpeciebus diuerſa non ſatis patet. Ad hoc genus etiam pertinet KOELREVTERI *Acanthocephalus* l. c. Vol. XV. **).

IV.

Nomenclatur und Beſchreibung der Inſekten in der Grafſchaft Hanau-Münzenberg, wie auch der Wetterau und der angränzenden Nachbarſchaft dies und jenſeits des Mains, mit erleuchteten Kupfern herausgegeben, von IOH. ANDR. BENIGNVS BERGSTRAESSER, *der Philoſophie ordentlichen Profeſſor, der evangeliſch lutheriſchen lateiniſchen Schulen zu Hanau Rektor, und der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin Ehrenmitglied. Erſter Jahrgang. Hanau, im Verlage des Verfaſſers* 1778. 11 *Bog. in* 4. 24 *Kupfert. Zweiter Jahrgang,* 1779. 10 *Bog. in* 4. 24 *Kupfert. Dritter Jahrgang,* 1779. 6 *Bog.* 24 *Kupfert. in* 4.

i. e.

Nomenclatura et deſcriptio Inſectorum, comitatui Hanovienſi, Wetterauiae et vicinis terris indigenorum, iconibus viuis illuſtrata et edita a IO. ANDR. BENIGNO BERGSTRAESSER. Ann. I. II. III.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 676.
**) vid. ibid.

Hoc libro, cuius ex instituti ratione breuem tantum mentionem iniicere licet, Cl. Auctor studuit primum descriptione vberiore et accurata insectorum, regionibus, in titulo libri indicatis, indigenorum, historiae naturalis studium inter incolas magis commendare, tum et exteris indicare, quae illic insecta habitent, sicque haud pauca noua, vel hactenus obscura, neque depicta in publicum edere. Negandum quidem non est multa sic iam descripta et ab aliis depicta insecta hic repeti: quod tamen ex eo, quod iis praesertim scriberet Cl. Auctor Lectoribus, qui librorum et insectorum copia carerent, euitari non poterat. Atque etsi artificis *Iacobi Mülleri*, autodidacti, tabulae aeneae priores neque arti, neque naturae satis respondeant: plurimae posteriores tamen omnino bonae et cum ipsis insectis apprime conuenientes deprehenduntur, atque priores icones negligentiores passim nouis diligentioribus correctas inuenies. Primae tredecim tabulae Coleoptera continent, atque inter haec plures nondum pictas nouasque, praesertim *Dyticorum* species, animaduertimus. Decima quarta tabula *Gryllos* repraesentat, atque omnes, quae sequuntur, tabulae aeneae Papilionum et specierum, et varietatum satis magnum numerum depictum offerunt: Atque cum propter tabularum aenearum rationem descriptiones systematico ordine proponi non possent, Cl. Auctor finito iconographico hoc opere, Faunam Wetterauensem se daturum pollicetur. Descriptiones Cl. Auctoris omnino sunt laudandae: synonyma quoque diligenter et recte commemorata, aliorumque errores haud raro corriguntur. Plura qui cupit specialiora, ipsum librum commendandum maxime, adeat necesse est. Id tantum subiungimus, icones Papilionum etiam separatim

tim diuendi hoc titulo: *Papilionum Europaeorum hiſtoria naturalis etc.* Quo quidem libro, qui hanc nomenclaturam habent, non egent.

V.

CAROLI A LINNÉ genera plantarum eorumque characteres naturales ſecundum numerum, figuram, ſitum et proportionem omnium fructificationis partium, editio nouiſſima nouis generibus ac emendationibus ab ipſo perilluſtri Auctore ſparſim euulgatis adaucta curante D. IOANNE IACOBO REICHARD, Francofurti ad Moenum medicinae practico ord. et horti bot. Senkenbergiani praefecto, Acad. Imper. nat. cur. Societ. Scient. Princip. Haſſ. et Societ. amicor. nat. ſcrut. Berolin. ſodali. Francofurti ad Moenum, apud Varrentrapp filium et Wenner, 1778. 1 Alph. 18 plagg. in 8.

Quum inde ab vltima Generum plantarum editione multa noua regno vegetabili acceſſerint genera: viſum eſt neceſſe et vtile, aliam adornari editionem nouis iſtis generibus locupletatam, emendationibus nota iam genera concernentibus adauctam. Atque haec eſt ea, cuius adornandae curam in ſe ſuſcepit Cl REICHARD, Botanicus ſollicitus et celebris: in qua quidem, quoad vniuerſum, eadem, quae in ſexta editione generum plantarum a LINNEO adhibita eſt ratio operis, eſt reſervata: at ſimul egregia commoda botanicis ſunt parata. Omnia nempe genera a LINNEO definita, eo ordine, quo in Syſtemate vegetabilium, a Cl. MVRRAY edito, diſpoſita ſunt, et emendata, ſuis locis inſe-

renda, inſerta. Characterum, a LINNEO generibus datorum, vel in Generibus plantarum, vel in Syſtemate vegetabilium, diſcrepantias in obſeruationibus, ad calcem characteris additis indicauit. Sic etiam, vbi character genericus omnibus ſpeciebus vnius generis adaptari non potuit, id obſeruationum ad inſtar adnotauit. Atque has quidem obſeruationes ex indicata Murrayana ſyſtematis editione deſumſit, alias vero nonnullas, quae hactenus in Linneanis operibus non reperiuntur, de quibus poſtea, ipſe, vt ſuas, addidit. Ea genera, quae LINNEVS non habet, neque hic data ſunt, vt hic *genuina Linneana* traderentur genera. Sed optandum eſt omnino, vt Cl. Auctor promiſſis ſtare velit, et hac libri forma et ratione earum ſtirpium characteres genericos tradere, quarum LINNEVS non meminit. Patet itaque ex his, completam atque correctam hanc Generum editionem omnibus Botanicis acceptam eſſe debere, ac praeſertim tironibus, qui priori editione carent, vtiliſſimam, cum hanc vili ſatis pretio ſibi comparare poſſint, in qua, quicquid huc pertineat a LINNEO promulgatum in vnum librum congeſtum reperiant.

Noua genera, in ſexta editione non contenta, hic ex ſyſtemate Vegetabilium addita, amplioribus tamen characteribus, ſunt triginta nouem, quibus accedit quadrageſimum: *Guſtauia*, a LINNEO in diſputatione *de plantis Surinamenſibus*, *anno* 1776 *edita*, primum definitum.

Reſtat, vt quasdam Cl. REICHARDI obſeruationes commemoremus. *Holoſteum vmbellatum* ſtr. p. 43. minibus 3 et 4, piſtillisque quatuor variat. *Ribes* p. 114. *alpinum* dioicam eſſe plantam, obſeruauit praematura morte ereptus Cl. LEERS in *Flora Herbornenſi*.

nenſi. Cl. ROTTBOELL *) characterem *Anatardii* (enneandr. monogyn.) ex nouis ſpeciminibus hoc modo illuſtratum ſiſtit: Planta polygama dioica. Hermaphroditus flos. *Cal.* Perianthium pentaphyllum, foliolis ouatis, concauis, erectis, coloratis, ſubvilloſis. *Cor.* Petala quinque, lanceolata, acuta, vt in charactere LINNEI. *Stam.* Filamenta 8 ad 10, ad baſin connexa; horum vnum reliquis craſſius, atque $\frac{1}{3}$ parte longius, lobo grandiori germinis reſpondens; cui anthera triquetra, magna, fertilis, *decidua;* caeteris antherae minores, effoetae perſiſtentes, figura prioris. *Piſtil.* Germen obliquum, reniforme, lobo altero maiore ſuperius poſito. Stylus vnicus e ſinu germinis, ſubulatus, corollae aequalis. Stigma paruum, ſubrotundum, depreſſum, concauum. Recept. et Fructus vt in LINNEI charactere. *Maſculus flos* in diuerſa planta. *Calyx, corolla, ſtamina,* vt in hermaphroditis. *Piſt.* Germen nullum vel abortiens. In *Forskälia*, quae iuxta LINNEVM eſt decandra, *octo* tantum ſtamina obſeruarunt Cll. IACQVIN et MEDICVS. *Pedalii* character, iuxta florem viuum deſcriptus a Cl. ROTTBOELL **), a Noſtro ſic reſtituitur. *Cal.* et *Cor.* vt LINNEVS dicit. *Stam.* filamenta 4, pilis glanduliferis ad baſin obſita, inflexa, tubo corollae minora, quorum 2 paullo breuiora. Antherae cordatae, didymae, apice glanduloſo aurantiaco. Rudimentum filamenti quinti inter ſtamina 2 breuiora, cum anthera ſimplici minima coloris aurantiaci. *Stigma* bifidum, lacinia ſuperior margine et apice reflexa; inferior reuoluta. *Spilanthi* genus nondum firmo ſtare talo videtur Cl. Editori. Differre a *Bidente* defectu palearum auctor eſt LINNEVS (*Syſt. nat. Tom. 2. p.* 533.) licet in *Syſt. veget. p.* 609. receptaculum

p. 205.

p. 238.

p. 329.

p. 410.

*) vid. Collect. ſoc. med. Havn. 2. p. 252.
**) vid. ibid. p. 255.

lum, ex errore forte typographico, dicatur paleaceum. Non autem paleas deficere alii demonſtrant. Ita IACQVINVS (*amer.* 214.) docet *Spilanthi vrentis* et *inſipidi* ſemina aucta eſſe lateribus membranula, quae ſuperne abeat vtrinque in ſetam vnicam alteram altera duplo longiorem; ſed ea ipſa membranula Noſtro receptaculi palea videtur. Cl. BERGIVS *) *Spilantho oleraceo* paleas deciduas, et Cl. MEDICVS **) in eodem et *Sp. Acmella* et *Pſeudoacmella* adeſſe reptaculum paleaceum obſeruarunt. Cl. REICHARD ipſe *Spilanthi oleracei* et *Pſeudoacmellae* receptacula paleis compreſſis carinatis, ſemina ſingula amplexantibus, inſtructa eſſe animaduertit. Negat Cl. MEDICVS ſemina ariſtas habere, quas tamen Cl. BERGIVS et REICHARD minutas viderunt. Denique floſculis quadrifidis ſtamina ſunt quatuor, et quinquefidis quinque. Solo igitur receptaculo conico, floribus tubuloſis, corollulisue quadrifidis cum quinquefidis immixtis *Spilanthus a Bidente* differre videtur: an vero ſatis?
p. 424. in dubio relinquit Noſter. In *Arnica montana*
nulla in radio filamenta neque reperit HALLERVS,
p. 446. neque Cl. REICHARD. In *Filagine Germanica*, *mon-*
p. 471. *tana*, *aruenſi*, et *Gallica* ſemina pappoſa ſunt. *Cen-*
tocarpi et *Axyridis* characteres a Cl. GÜLDEN-
p. 556. STAEDT ***) reformatos ſubiungit. Sic et *Marſileae* characterem ex NECKERI ****) obſeruatione
p. 569. mutatum addit, vti et *Amomi Zerumbet*, *Spermacoces hiſpidae*, et *Heucherae* characteres ex MVRRAYI †) obſeruatione, et *Thaliae* notas, a ROTTBOEL-

*) Act. Holm. 1768. t. 7. vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 70.
**) Act. palat. III. p. 237. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 15.
***) nou. comm. Acad. Petrop. Vol. XVI. comm. noſtr. Vol. XX. p. 15.
****) Act. palat. III. p. 295. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 19.
†) nou. comm. ſoc. Gott. Vol. III. et VI.

BOELLIO *), et *Calligoni* differentias a Cl. PALLAS in itin. tom. III. p. 536. datas, ſubiungit.

VI.

EIVSDEM ſyſtema plantarum, ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus, differentiis, nominibus triuialibus, ſynonymis ſelectis, et locis natalibus. Editio noviſſima, nouis plantis ac emendationibus ab ipſo Auctore ſparſim euulgatis adaucta, curante D. IO. IAC. REICHARD. Pars I. Francofurti ad Moenum, apud Varrentrapp filium et Wenner. 1779. 2 Alph. plagg. 5. in 8. Pars II. ibid. eod. 1 Alph. 20 plagg. Pars III. ib. 1780. 2 Alph. plagg. 15. Pars IV. ib. eod. 2 Alph. 2 plagg. 8.

Sufficit vtiliſſimi huius inſtituti rationem breuiſſime indicare. Nimirum omnia, quae in variis LINNEI ſcriptis, ſyſtematum editionibus XII. et XIII. in Mantiſſis et in Diſſ. de plantis Surinamenſibus, hactenus de plantis diſperſa erant, in noua hac ſyſtematis plantarum editione aptis ſuis inſcribenda locis collegit Cl. Editor. Quo id quidem enatum eſt commodi praeſertim, vt iſtis ſcriptis Linneanis carere poſſint, quibus hoc ſyſtemate vti placuerit. Plantas a LINNEO neque viſas, neque deſcriptas conſulto omiſit: cum de iis alio loco et tempore dicere Cl. REICHARDO ſit animus. Praeter ſynonyma tamen a LINNEO commemorata, nuperorum botanicorum nomina et icones diligenter indicauit, qua quidem opera multum ſane ad cogni-

 tionem

*) vid. coll. ſoc. med. Hafn. 2. p. 249.

tionem plantae certiorem contulit: hinc inde etiam obſeruationes, ab aliis Auctoribus mutuatas, addidit. Plures etiam citauit Auctores, a LINNEO nondum allegatos. Nomina etiam Germanica, paſſim ſubiunxit. Atque ſic factum eſt, vt in tantum volumen accreuerit opus, in quo diligentia, atque ſollers cura Cl. REICHARDI omnem merentur plauſum.

VII.

Lettres ſur l'hiſtoire naturelle de l'Isle d'Elbe écrites à ſon Excellence Monſieur le Comte DE BORCH, par CHARLES HENRI KOESTLIN. Vienne, chez Jean Paul Kraus, 1780, 9 plagg. in 8. tab. aen. 1.

Continent hae epiſtolae praeſertim obſeruationes mineralogicas, quae phyſicam geographiam ſpectent. Tota Inſula, quae Romanis *Ilua* dicta fuit, eſt montoſa; montibus calcareis, ſchiſto argilloſo incumbentibus. Circa vrbem Rio ſunt colles argilloſi, quos ex granite acidis decompoſito ortos putat. Ante ipſam hanc vrbem mons, ex ſchiſto argilloſo compoſitus, reperitur, cuius ſtrata multum variant. Hic ſchiſtus ſaepe ſerpentino viridi et coeruleſcente obtegitur: atque ibi etiam ſteatites albus inuenitur. Mons, *Gioue* dictus, rupe quarzoſa conſtat. Mons magnetis, *monte de la Calamita* dictus, videtur omnino ex magnete eſſe compoſitus. Interim lapides ferrei ſoli expoſiti vim magneticam amittunt, ideoque effodiendi ſunt optimi magnetes: qui iuxta WALLERIVM ſunt *Magnes colore fuſco vel rubente.* Cum Cl. Auctor

acu

acu magnetica magneti, in naturali ſitu poſito, appropinquaret, ea primum irregulariter ſe mouebat, deinde autem meridiem omnino occupabat magna cum inclinatione verſus ſeptentrionem. Nam magnetes, quibus appropinquaret, in meridie poſiti erant. Videtur itaque polus ſeptentrionalis magnetum naturalium directus eſſe verſus meridiem. Declinationem acus magneticae in nauibus non fieri, niſi eae ſint admodum vicinae huic monti: atque videtur Auctori ferrum obtinere vim magneticam ab electricitate aëris, praecipue per tonitrua et fulgur. Obſeruauit enim et Cl. BECCARIA ferreos baculos in domo, quae fulgure tacta erat, factos eſſe magneticos *). In vicinia huius p. 22. montis inuenitur etiam Schörlum viride ſ. Baſaltes viridis CRONSTÄDTII.

Montes St. Hilarii, St. Petri et de Marciana et p. 28. reliqui in Inſula verſus occidentem ſiti, omnes ex granite nudo conſtant, neque alia lapidis ſpecies obſeruatur. Montes de Marciana maxime ſunt elevati in Inſula, quamuis Cl. DE DIETRICH montem magnetis ſummum dicat. Iuxta baſin montis St. Hilarii inuenitur ſchiſtus argillaceus, in quo ſtrata parua Cacholonii albi et lactei inueniuntur, quem lapidi Piceo (*Pechſtein*) ſimilem dicit. Ibidem etiam variae ſpecies Asbeſti inueniuntur. Prope a monte St. Hilarii mixtura inaequalis partium conſtitutiuarum granitae obſeruatur. Aut enim quarzum modo, aut hoc cum mica deficiente, aut magnae maſſae micaceae congeſtae ſunt. Haec micae congeries Noſtro videtur originem praebere ſchoerlo, qui ſaepe in granite reperitur. Nigrum priſmaticum aut truncatum, aut pyramide mucronatum eſt hoc Schoerlum, fractura lamelloſa, atque ſaepe in veram micam reduci poteſt. Saepe ſunt eidem granula

*) vid. Opuſcoli ſcelti de Milan. Tom. XXXII.

nula quarzea immixta, ſaepe autem et ſine his cum chalybe ſcintillant. Originem ſchoerli ex mica, quamquam partium conſtitutiuarum ratio differat, quippe cum mica terram aluminarem pro baſi habeat, ſchoerlum autem terram manganenſem, ſic defendit, vt hanc rationem in omnibus ſchoerli ſpeciebus nondum eſſe comprobatam dicat. Sic quoque Cl. VAIRO, Profeſſor Neapolitanus, arte parauit ex mica addendo ſalem, Glauberiano ſimilem, ſimiles ſchoerli cryſtallos. Nobis autem Cl. Auctor ſchoerlum cum corneo ſpatoſo, ſeu mica cornea confudiſſe videtur.

p. 35. In montibus vicinis reperitur terra argillacea flaueſcens, quae ex decompoſito granite orta eſt: nam ſaepe in ea quarzum atque ſpatum ſcintillans reperitur. Hanc granitae decompoſitionem ex ipſorum lapidum vitreſcibilium, qui eum conſtituunt, natura deriuat, vtpote quae ſit, iuxta Cl. BEAUME' et PÖRNERI experimenta, argilloſa cum acido vitriolico et phlogiſto intime mixta. Pluuia enim, nix, et humidum aëreum in graniten agens ſoluit phlogiſton, atque acidum cum partibus vitreſcibilibus vniens producet argillam.

p. 40. Ex obſeruationibus in hac inſula inſtitutis confirmatur, quae de ſtructura et aetate montium obſeruarunt alii. Schiſtus argillaceus plerumque lapide calcareo obtectus eſt: ideoque illius formatio prius facta eſt: cum tamen huic ſchiſto ſaepe calcareus immixtus ſit, videtur adhuc fluidus fuiſſe, cum a calcareo obtegeretur. Deinde ſchiſtus obtegit graniten, quod tamen breui poſt huius formationem factum videtur. Montes granitici ſunt antiquiſſimi et ſummi. Repugnat quidem Cl. ARDVINI, qui graniten Vulcani productum habet. Sed Noſter, qui obſeruationem Cl. Viri negare haud audet, exinde tamen ad omnem graniten colligi
p. 49. non poſſe recte putat. Minera ferri ſuper ſchiſto poſita

posita est. Petrefacta non inuenit Noster; Cl. PINI tamen Patellitae et Ammonitae mentionem facit. Neque vlla Vulcanorum vestigia in hac insula inuenit.

Iam montem *de Rio*, in quo minera ferri re- p. 52.
peritur, contemplatur: est circiter trium milliarium in ambitu, versus Orientem monti Gioue adhaeret, et versus Occidentem mare spectat. Minera ferri schisto argillaceo insidet: altitudinem 300 pedum attingit, atque eius cacumen vt et omnis montis massa ex minera ferri constat. Vitis aliaeque plantae eidem pauca humi copia tectae innascuntur, atque in se multas ferreas particulas continent. Latus marinum arena ferrea nigra WALLERII est obtecta. In schisto huius montis Asbestus aceroſus fibris mollioribus WALLERII inuenitur. In hoc monte etiam aqua mineralis scaturit, quae iuxta disquisitionem Cl. HOEFER, est vitriolica martialis, orta ex decomposito pyrite: nam sex librae medicinales continent spiritum mineralem acidum, magna in copia; ochrae 3 grana et selenitae, acidis repugnantis, 7 grana; salis vitriolici martialis substantialis 44 grana, et parum aëris elastici. Graniten p. 61.
circa hunc montem non inuenit Noster, quemadmodum affirmat FERBERVS *). Minera ferri adhaeret saepe bolo versicolori. Maxima pars huius minerae a magnete attrahitur, est coloris grisei, atque cum chalybe scintillat. Crystallisata inuenitur vel crystallis polygonis s. potius dupla pyramide, basi connata, compositis; vel cristatis (*en forme de crete de coq*), vel lamellatis, quae interdum cellulas formant. Deinde mica ferrea etiam magnete attrahitur. Porro haematites niger atque ochra martialis indurata, varii coloris illic reperitur. Huic minerae saepe pyrites immixtus est, quin

*) in litteris super Italia p. 442. vid. comm. nostr. Vol. XX. p. 244.

quin etiam Sulphur natiuum in ea inuenitur. Negat Cl. Auctor hanc mineram cum minera Toſcanenſi cohaerere.

Sequuntur obſeruationes botanicae et zoologicae, ſeu catalogus plantarum et animalium in hac inſula obſeruatorum. Adiecit nominibus Linnaeanis Cl. Auctor interdum Gallica et Italica et nonnullis ſpeciebus deſcriptiones, aliaque de earum vſu notatu digna. *Globularia Alypum* guſtu eſt amara, atque ab incolis ſcopo purgandi aſſumitur. Dolendum eſt vtilem atque lectu dignum hunc libellum multis mendis typographicis eſſe deformatum.

VIII.

Syſtema mineralogicum, quo corpora mineralia in Claſſes, Ordines, Genera et Species, ſuis cum varietatibus diuiſa deſcribuntur, atque obſeruationibus, experimentis, et figuris aeneis illuſtrantur, a IOHAN. GOTSCH. WALLERIO, Equite Ordin. Reg. Waſaei, Chemiae, Metallurg. et Pharmac. Profeſſore Reg. Ord. et Emerit. Vpſ. cet. Tom. II. In quo Minerae et Concreta deſcribuntur, cum Indice quadruplici. Holmiae, impenſis B. def. Direct. Laurentii Saluii, 1775. 1 Alph. plagg. 2. tab. aen. 1. in 8.

In praefatione monet Cl. Auctor, terram, quae baſin ſalis amari conſtituit, ſ. magneſiam albam non prius inter primitiuas et per ſe ſubſiſtentes numeran-

merandam esse, quam indicatum fuerit, quo terrae loco per se subsistens et hospitans reperiatur. Iam vero cum in pluribus lapidibus Talco, Serpentino, aliisque haec terra insit, eandem omnino ad primitivas censendam esse putamus. Idem valet de terra aluminis, quae purissima et per se subsistens Halae Saxonum reperitur. Cl. Auctor autem putat, magnesiam albam potius vt mediam inter sal alcalinum naturale et terram calcaream considerari posse, quam vt mediam inter calcaream et argillam: etenim ad salinam magis, quam ad terream inclinare indolem. Cl. Auctor optat, vt accuratis obseruationibus decidatur, annon ista loca, vbi magnesia reperiatur lapidibus inhaerens, olim sub vnda marina substiterint? Interim eandem inter calcareas terras numerat, et compellat *Calcaream terram* tenuissimam, albam, aqua solubilem, igne mutabilem.

In ipsa libri expositione Cl. Auctor vtitur methodo, quam satis ample, supra *) indicauimus. Quapropter hic characteribus cognitis ordinum, generum, et specierum omissis, nouas Cl. Auctoris obseruationes proponamus. *Minerae* nomine Cl. Auctorem, salia, sulphura et metalla comprehendere ex priore tomo notum est.

De acido vitriolico, in acidulis et thermis plurimis reperiundo, eiusque subtilissimo et maxime volatili spiritu hanc habet opinionem: idem spirituosum a lenta minerae pyritaceae cuiusdam fatescentia deriuat; id quod ex absentia ferri et vitrioli in genuinis acidulis, ex hepatico odore aquarum et ex sulphureo, quod SEIPIVS a salibus neutris acidularibus per sublimationem obtinuit. Experimento p. 6. et Praef.

*) vid. comm. nostr. Vol. XIX. p. 437.

mento cum limatura martis et ſpiritu volatili aquoſo, parua calcis copia addita, obtinuit aquam ſpiritu ſulphureo grauidam, aquae minerali maxime ſimilem, magis tamen nauſeoſo ſapore praeditam. Perinde eſt Cl. Auctori, ſi quis vaporem ſub fateſcentia pyritae naturali, vel efferueſcentia acidi vitriolici cum ferro generatum, appellare velit vel *aërem ſixum*, vel *aërem inflammabilem*, vel *acidum aëreum*. *Acidum phoſphoreum* in fluore minerali detectum
p. 10. a Cl. SCHE'ELE aſſumit. In eo differt ab *acido phoſphori vrinae*, quod illud cum calcarea terra combinatum, fluorem mineralem phoſphoreſcentem conſtituat abſque alia inflammabili materia ſuperaddita aut combinata; hoc vero, ſuo inflammabili orbatum, nullum conſtituat phoſphorum. Interim de origine huius acidi Cl. Auctor adhuc dubius manſit.

p. 13. *Sal ſedatiuum* acidis Salibus non adnumerat, cum nec ſapore, nec odore, nec conſiſtentia, nec habitu ad reagentia cum his conueniat. Etſi transmutationem acidorum Cl. Auctor concedat, inde tamen ſequi negat, acida muriaticum et nitroſum a vitriolico oriri: etenim omnia haec acida a *communi principio* deriuari poſſunt, a quo aequaliter originem habent, diuerſam vero induunt naturam pro diuerſitate particularum, cum quibus adunantur. Salium acidorum originem primam deriuat
p. 16. Noſter ab aqua ſ. vapore aquoſo cum materia in-
p. 18. flammabili intime iuncto. Pro gradu compoſitionis et differentia materiae inflammabilis diuerſa producuntur acida: nam a tenuiſſimo vapore aqueo cum puriſſima et ſubtiliſſima materia inflammabili combinato, oritur acidum aëreum: a phlogiſto minerali cum aqua ſubterranea combinato, vel cum acido aëreo aſſociato, acidum vitriolicum oritur: ſi phlogiſton vegetabile vel animale aquae vel acido aëreo

aëreo vnitur, acidum nitrosum: si principium inflammabile metallicum vel arsenicale s. lucis materia cum vapore aquoso s. acido vniuersali iungitur acidum salis, et a peculiari inflammabili materia cum salis s. vitrioli acido vnita acidum phosphoreum minerale oritur.

Inter vitriola, *vitriolum ferri crystallisatum cubice* commemorat. p. 22. De alumine *lapide calcareo* mineralisato, quorsum refert alumen Romanum de Tolfa rubens, aliudque nigrum *Andrarum* in *Scania* reperiundum, valde dubitamus: etenim demonstrauit Cl. FERBERVS prius omnino in lapide argillaceo reperiri: forte idem de posteriori etiam valet. p. 34. Nobis rationes, quas commemorat Cl. Auctor ideo, vt probet terram aluminis esse *calcaream* subtilissimam mutatam, non satis graues videntur, quin potius vero similius putamus terram aluminis primigeniam suique generis esse. p. 42.

Nitri natiui, in *Tartaria Tibetana* inuenti *) mentionem iam in praefatione fecit: indeque opinio de huius salis, ad vtrasque partes constitutiuas, perfecta et simultanea origine confirmatur. Quae de origine Nitri quondam **) proposuit, hic emendat.

Tres *Natri* natiui proponit varietates a) *crystallina facie*, crystallis prismaticis parallelis, aliquando obliquis, aliquando striatis facie fere Gypsi ***), quod in prouincia Suckena Regni Tripolitani inuenitur b) in massa aut gleba concretum ex regno Hami in Tibet †) c) in superficie terrae efflorescens.

Praeter

*) vid. Act. Holm. Vol. XXXIII. p. 171.
**) in recreat. Physiques T. I. p. 672.
***) act. Holm. Vol. XXXIV. p. 140.
†) vid. ibid. Vol. XXXIII. p. 172.

p. 76. Praeter Sal commune aſſumit etiam *Sal natrum purum*, quod tamen naturae *Salis fontani* proxime accedit. Reperitur *pyramidale* et *cubicum* ca-
p. 77. vum, non tamen, niſi in aquis ſolutum. Sal ammoniacum et *cruſtoſum* *) et *vulcanorum* habet. Originem tamen huius ſalis maxime dubiam cenſet, an omne a Vulcanis dependeat, aut alio modo
p. 80. etiam producatur. Sub finem tractatus de ſalibus adiicit, ſe non ſolum vidiſſe, ſed et examinaſſe *ſolutionem auri in acido vitriolico*, praeparatam ab ill. I. I. ANCKARSTRÖM. Hanc ſolutionem cum oleo tartari p. d. examinauit, quo, ſub magna effeueſcentia, praecipitatus fuit tenuiſſimus flaueſcens pulus, qui verum et puriſſimum erat aurum: Hanc tamen ſolutionem, addit, accuratiſſimas exigere manipulationes, tam in menſtrui paratione, quam in auri purificatione et tritura, in ipſa ſolutione, debito ſub regimine temporeque perficienda. Laudatur praeterea Generoſ. ANCKARSTRÖM, quod ſuas operationes iuxta principia chemica extendat ad commoda reipublicae promouenda.

Boracem dicit *Sal alcalinum*, pinguedine quadam commixtum; dubitat tamen an naturale, vel artificiale ſit: ex recentioribus tamen relationibus conſtat Boracem non ſolum, ſed et eius principium ſal ſedatiuum, eſſe naturalia **). *Sal ſedatiuum* non ſolum Boraci eſſe inexiſtens opinatur, ſed *ipſum ſal Boracis*, quocunque modo mutatum, et ad acidum magis inclinans naturam: id quod coniicit ex deſtillatione, quam cum ſaccharo, quod oleo vitrioli diluto admiſceretur, inſtituit, hic enim ſimiliter quidpiam ſalis albidi in recipiente obtinuit. Quae quidem ſententia corroboratur, quod hoc ſal ſedati-

vum

*) vid. MODELII *Verſuche über ein natürliches Salmiak.*
**) cf. *Sammlungen zur Phyſik etc.* vid. ſupra. p. 307.

vum etiam ex parte ſeparetur Spiritu Vini, et aequalibus cum Borace gaudeat proprietatibus. Alteram ſpeciem Boracis aſſumit *Borech*, quod ſale alcalino mixtum ſit. p. 85.

Sequuntur *Sulphura*, et inter haec *Bitumina* primum. *Naphtha* attrahit etiam aurum ex aqua regis, dum in ſolutionem auri effunditur. Cum *Naphtha Vitrioli*, arte parata, iisdem facultatibus cum Naphtha naturali praedita ſit, quaerit Cl. Auctor, an haec ſimiliter acido vitriolico volatili et materia inflammabili compoſita ſit. Plura cum *Lithanthracibus* inſtituta experimenta narrat; quibus inter alia, quorumdam lithanthracum in igne intumeſcentiam, aluminis inſtar, obſeruauit, quam a terra aluminis, qua lithanthraces ſaepe ſunt impraegnati, (et quae, ex noſtra ſententia, lithanthracum baſis eſt,) pendere, eamque eſſe calcaream, (qua in re a Cl. Auctore nos et plures diſſentiunt,) ab admixto pingui aliisque materiis mutatam opinatur. Experimentis aliis vidit ſalina et alcalina, et acida volatilia eſſe in lithanthracibus maxime variabilia, ſalua eorum natura; ideoque ſalia accidentalia eſſe lithanthracibus. Partes eſſentiales eorundem ſunt oleum, vel combinatum cum duriori vel molliori terreſtri aut lapidea materia, vel lignum vegetabile terra ſubmerſum penetrans. Hoc oleum autem cum eo, quod in Maltha et Aſphalto praeſens eſt, idem eſſe, non vero ſuam ab oleo vegetabili habere originem, ſed naphtham generari a materia ſubtiliſſima inflammabili, cum aqua mediante acido combinata. Etiam *Succino* mineralem originem tribuit, cui tamen repugnant fruſta ſuccini, ipſi ligno ſubterraneo, aquis innatanti, inhaerentia. Sal ſuccini neque ab acido vitriolico, neque a muriatico ſuam habere originem, ſed vel fotu ac calore ſubterraneo generari, vel vaporibus aquoſis plus minus p. 89. p. 100. p. 106. p. 115.

p. 125. se associantibus. *Sulphur natiuum rubrum* phaenomenis in igne, fusione, flamma et fumo a Risigallo
p. 129. seu *minera arsenici rubra* differt. Globuli pyriticei et marchasita ab ipso pyrite non videntur spe-
p. 137. cie differre, vt Auctor ea distinxit. Proportionem acidi ad materiam inflammabilem in Sulphure sic definit, vt grauitatem specificam acidi concentrati multis vicibus grauitatem specificam materiae inflammabilis superare, massam autem huius phlogisticae materiae aequalem, si non maiorem esse dicat, quam acidi massa. Exinde igitur Sulphur nil aliud esse, quam inflammabile concentratum forma
p. 140. solida s. terrestri existimat. Negat Cl. Auctor contra HENKELIVM et alios, esse terram quandam non metallicam, a matrice distinctam, quae pyriten constituat.
p. 144. Distinxit, more Veterum, Cl. Auctor *Semimetalla* a Metallis, inuita, vt nobis videtur, natura: quo enim verbo isto, falsa oritur notio, corpora sic nominata quibusdam ex caussis non esse metalla, cum tamen omnino non differant, nisi proportione et intimiore nexu partium constitutiuarum: Characteres igitur illa ab his distinguentes sunt vagi atque incerti.
p. 149. De Hydrargyro primum. Quod nuper demum in ducatu Bipontino inuentum est *Hydrargyrum* argento *amalgamatum*, olim etiam *Salbergae* in *Westmannia* repertum esse testantur *Acta Erud. Vpsal.*
p. 153. 1720. *trim.* 3. *p.* 55. Refert Cl. Auctor, in Bipontino reperiri *Cinnabarin* in spatho calcareo, Belemnitis repleto, atque lithanthracibus inhaerentem ad *Ilmen-*
p. 155. *viam*. Magnam inter mercurium et plumbum conuenientiam obseruari docet ex aequalitate cum plumbo, quam vbique suscipit mercurius coagulatus, ex colore in plumbo et mercurio fusis fere aequali, ex grauitate specifica vtriusque parum differente

renti, ex indole se facile et intime cum oleis combinandi, ex eo, quod vtraque in igne in fumum abeant, easdemque mutationes in acidis mineralibus mercurius quoad colores experiatur, quas ignis in plumbo producat; deinde quod inepta sint ad calcinationem completam et perfectam, et denique quod facilis sit transmutatio vnius ex his metallis in alterum. Mercurius Nostro videtur esse compositus a principio quodam terreo, salino acido et materia inflammabili.

Sequitur Arsenicum: quod quidem in aqua fortí difficulter solui notum est: Cl. Auctor expertus est partes 50 eiusdem requiri ad partem arsenici vnam, atque necesse esse, vt hoc acidum diuidatur et trinis vel 4 partitis vicibus addatur, quauis vice aquam fortem sub coctura ad siccum euaporando: Inde obtineri solutionem crystallisatam, crystallis figura quadrilatera, residuum coagulari in claram tenacem materiem, gummati similem, et appellari gummi arsenici. Minera arsenici alba amorpha, et crystallisata, vt varietates, in vnam speciem coadunandae nobis videntur: ab his distinguit Mineram arsenici *cineream*, sulphure et ferro mineralisatam, et *flauescentem* pyrite sulphureo mixtam: sed et hae varietates sunt; iisdem enim constant partibus constitutiuis, neque, nisi proportione earundem, parum a se recedunt. Ex obseruationibus colligit, Arsenicum esse sal metallicum, volatile, corrosiuum, ex parte cum Mercurio conueniens: differt tamen vel in mutata proportione partium constitutiuarum, vel in principii terrestris diuersa natura vel in vtrisque momentis. p. 158. p. 165. p. 172.

Hoc excipit *Cobaltum:* etsi consentimus cum definitione generis a Cl. Auctore data, tamen species quaedam, ab eo assumtae, ad varietates tantum sunt relegandae. Sic minera cobalti sulphurea et p. 173.

cryſtalliſata vna eſt eademque cum priore Cl. Auctoris minera Cobalti teſſulari: atque minera Cobalti cinerea conuenit cum minera cobalti ſcoriaeformi. Colores in ochra Cobalti lutea, alba, coerulea, et viridi non a Cobalto, ſed a calce ferri et cupri vel coeruleo vel viridi, quibus parumper cobalti immixtum eſt, pendent.

p. 183.

p. 194. Expoſitis proprietatibus *Niccoli*, de Antimonio agit, vbi id notamus, contra veram differentiam, ex diuerſa cohaeſione iterum eſſe ſpecies conſtitutas: eiusdem enim naturae ſunt tres Cl. Auctoris ſpecies, minera antimonii ſtriata, ſolida, et cryſtalliſata, nec niſi varietates vnius eiusdemque ſpeciei. De regulo Antimonii putat Cl. Auctor eundem vt *peculiare ſemimetallum* eſſe conſiderandum, quod compoſitum videtur ex inflammabili principio, et terra quadam metallica ſpecificata, cuius indolis ignota ſit.

p. 201.

p. 203. In *Wiſmuthi* ſpeciebus dubiae nobis videntur Minera Wiſmuthi cinerea, et verſicolor, quas varietates Wiſmuthi natiui eſſe putamus. Cl. Auctor demonſtrat Wiſmuthum maximam habere cum Plumbo conuenientiam, eſſeque compoſitum materia inflammabili et terra metallica, eiusdem ſere indolis, vt in plumbo.

p. 212. Poſtremo loco Zincum conſiderat, quod inter ſic dicta ſemimetalla eſt tenaciſſimum, adeo vt contuſione in puluerem redigi nequeat, nec tamen malleabile. Sulphure nulla adhuc nota arte combinari poteſt. *Mineram Zinci vitream* dicit, quae CRONSTEDTII eſt M. Z. calciformis pura indurata, eamque ſulphure mineraliſatam, putat: eſt colore griſeo parum coeruleſcente, aliquando et viridescente aut flaueſcente, fractura inſtar quarzi appareret, ſed abſque nitore et duritie; quoad ſtructuram eſt vel nodoſa, vel ſtratoſa et cauernoſa, interdum

p. 215.

dum cellularis: calcinatione flaueſcit et odorem ſulphureum emittit, quam et dum malleo fortiter percutitur, eructat, vnde ſulphuris praeſentia in hac minera patet: cum acido vitrioli, aqua diluto, effergueſcit et integre ſoluitur, quae ſolutio a lixivio alcalino coagulatur, euaporata vero et cryſtalliſata, praebet cryſtallos albas priſmaticas. Reperitur *Flintshire in Anglia*. Alias ſpecies Pſeudogalenae varietates vnius ſpeciei putamus. Combinationem cum aliis metallis et affinitatem cum Stanno eiusque diuerſitatem Cl. Auctor vberius docet.

Metalla Ordinem quartum conſtituunt, atque hic *ferro* primus locus eſt adſcriptus. Secunda ſpecies *minera ferri cryſtalliſata* comprehendit cryſtallos *cubicas* et *octoëdricas*, quarum priores tritura et raſura puluerem dant fuſcum neque a magnete attrahuntur, cum poſteriores puluerem nigrum dent, et magnete ſint attractiles: Quapropter nos eas mixtione, atque igitur etiam ſpecie differre putamus. Molybdaenam inter mineras ferri ponit: etenim mixta cum ſale ammoniaco dat flores martiales, perfecte calcinata a magnete trahitur, calcinata, vel per ſe, vel cum nitro mixta, in crucibulum ignitum ſucceſſiue iniecta et fortiter fuſa, deinde refrigerata et bene edulcorata, ſi poſtmodum forti cum fluore funditur, dat ferrum ad 18 libras et vltra pro centenario, vt docuit Cl. QVIST *). Poſtea ferrum fuſum vel regulus martialis in aqua ſalina vel aqua forti per temporis ſpatium relictus faciem et indolem molybdaenae ſuſcipit: ferrumque, ſulphure ſolutum, ſtructuram aequalem poſt fatiſcentiam in aëre recipit. A ſulphure ideo et corroſione ſtructuram molybdaenae

p. 229.

p. 249.

*) vid. Act. Holm. Vol. X. p. 129.

ſquamoſam et indolem pictoriam pendere Cl. Auctor arbitratur. An quidpiam ſtanni vbiuis molybdaenae admixtum ſit incertum eſt: id certum eſt, quod hoc metallum, magna copia ſulphuris ſuper id ipſum fuſum ſucceſſiue iniecta, cum eodem non ſolum combinetur, ſed et in albos flores, more Zinci, in igne volatile fiat, vt experientia Cl. Auctorem docuit: ac praeterea molybdaena vix alibi, quam in fodinis ferri, vel ſtanni reperiatur.

p. 265. Ipſum ferrum, quod ex plurimis corporibus obtinetur, in plurimis terris et lapidibus, imo, in vegetabilibus et animalibus nonnullis accidentaliter quidem admixtum eſſe; illud autem, quod ex iisdem poſt incinerationem et calcinationem obtinetur, non vt eductum, ſed vt a terra in illis praeſente et cum inflammabili materie combinata, produ-

p. 269. ctum conſiderandum eſſe. Ferrum naturaliter compoſitum eſſe exiſtimat materia inflammabili, terra argillacea et aliqua aciditate ſeu electrica materie, in argillacea terra fixata, qua eadem in terram mar-

p. 270. tis mutatur. Haec electrica materies Cl. Auctori probatur a ſcintillis electricis, quas ferrum in igne emittit; a maxima attractione, quae reperitur inter ferrum et materiam electricam, ab harmonia, quae inter electricam materiem et magnetem eſt obſervata, et ab attractione et ſolubilitate maxima ferri in acido Vitriolico, quod eiusdem fere eſt indolis cum materia electrica, accedente inflammabili ſubtiliſſimo. Hinc patere ait, cur magnes vix niſi ad ſuperficiem reperiatur; neque vnquam in venis profunde adſit: cur argilla ſubdialis magis martialis reperiatur, quam profundius ſita, et cur terra vegetabilis et animalis martialis fieri poſſit. Electricam enim materiam plus minus figi poſſe.

p. 276. *Cuprum natiuum*, quod nonnulli in dubium vocant omneque eſſe per naturalem praecipitatio-

nem

nem productum existimant, recte Cl. Auctor distinguit: neque enim coalescentia particularum cupri praecipitati testimoniis sat firmis confirmari, neque cuprum natiuum dendroides, vel granulatim lapidibus immixtum aut in stratis obuium, vel crystallisatum, vt praecipitatum considerari, vel cum praecipitatione quadam conciliari potest. Etenim et figura et locus huic repugnant. Placent Cl. Auctoris species minerarum Cupri, praeter mineras cupri flauam et virideſcentem, et subflauam, quas vnam tantum speciem constituere putamus. Cuprum generatum esse opinatur terra simplici vitri- p. 297.
ficabili, sed, quae a principio sulphureo subtili sit mutata ac penetrata, atque principio inflammabili.

Plumbum natiuum Cl. Auctor assumit: sed p. 301.
loca, quae commemorat omnino dubia sunt: e. g. museum Richterianum, sed nos ipsi, saepe museo Richteriano perlustrato, nihil nisi frustulum plumbi fusi, pro natiuo, illic seruari et haberi animadvertimus: idem haud dubie valet de museo Speneriano: Reliqua loca ex relatione aliorum tantum nominat, vt inde probabile nobis sit, Cl. Auctorem, fide aliorum, plumbum natiuum assumsisse, nec vidisse: Ideoque donec ipsum plumbum natiuum ab Auctore autopta, fide digno, describatur, illud omnino reperiri negamus. Inter species minerarum Plumbi, Galena crystallisata et spec. II. Galena mineralisata, quae nihil est, nisi Galena lapidi insensibiliter immixta, ad varietates tantum Galenae s. spec. 2. ex nostra sententia sunt referendae. Cl. Au- p. 314.
ctori probabile videtur Plumbum esse compositum ex alcalino quodam principio, salino vel terrestri, a materia inflammabili penetrato atque ad partem volatili reddito, deinde vero cum alia inflammabili materia combinato. Hoc alcalinum sal terram vitrescibilem appellari posse putat. Plumbum pro p. 315.

diuerſa tranſpoſitione et combinatione partium vel in mercurium, vel in argentum deprehenditur mutabile. Si immutetur proportio partium conſtituentium plumbi, adeo, vt magis proportionata ſit quantitas principii terreſtris ſ. ſalini ad principium inflammabile, et arctior vtriuſque nexus, h. e. diminuetur quantitas principii mercurialis, tum mutatur plumbum in argentum.

p. 318. Stannum natiuum auctoritate Cl. QVIST *) ſtatuit: mineras ſtanni 6 aſſumit, nempe *cryſtallos minerales ſtanni*, mineram cryſtallorum ſtanni, et ſolidam, quae tamen cum *Arena ſtannea* omnino varietates vnius ſpeciei videntur. *Mineram ſtanni ſpatoſam* veram non vidimus, neque mineram ſtanni ſtriatam, amiantiformem, quam omnium grauiſſimam albam, et facie in fracturis

p. 324. vitrea dicit, in *Siberia* inueniendam. Terra calcarea ſtannum ingredi Noſtro videtur, ex colore calcis ſtanneae albo, ex eiusdem difficili in igne vitrificatione, faciliori in acidis ſolutione, a ſapore amaro, a gelatinoſa coagulatione in plurimis acidis et ex vitrificationibus calcis ſtanneae, terris calcareis ſimilibus. Inflammabile principium alteram eſſentialem ſtanni partem exiſtimat, arſenicum autem per accidens ſtanno tantum admixtum ſaepe eſſe.

p. 326. Inter mineras argenti optandum eſſet, vt eae, quibus accidentaliter argentum immixtum eſt, ſeparatae eſſent a veris mineris argentiferis, e. g. *hepatica*, *zincoſa* et *pyriticoſa*. Deinde minerae argenti *lapidea* et *mollior* Cl. Auctori dictae, non ſunt, niſi variae minerae argenteae, lapidi vel terrae immix-

p. 330. tae. Inter minerae argenti vitreae varietates, fuſca, flaueſcens, et virideſcens nobis vel ſuperficialiter

p. 334. hoc colore aliunde infectae, vel ad mineram argenti corneam pertinere videntur: atque ipſa minera argenti

*) vid. Act. Holm. 1766. p. 231.

argenti albae descriptio potius m. a. arsenicalem, quam eam indicat, quam Nostrates *Weisgüldenerz* dicunt, cui quidem varietatis prioris color plumbeus conuenit; var. b. c. vero videntur ad mineram argenti griseam pertinere. Mallemus etiam m. a. plumosam sub antimonii mineris commemorari, cuius maxima ex parte particeps est. Caeterum argentum p. 350.
maximam habere affinitatem cum plumbo et mercurio colligit Cl. Auctor partim ex colore fere eodem in his metallis, partim a grauitate specifica non multum haec inter metalla discrepante, partim ab aequali fere indole in et cum acidis mineralibus et fortiori attractione ad acidum salis, ab imperfecta calcinatione in igne et acidis, et a vitrificatione, in qua vitra tingant flauo colore. Igitur haec metalla eadem agnoscere principia constitutiua, et differre tantum in proportione et nexu earundem partium putat.

Aurum mineralisatum dari concedit; minerae p. 358.
tamen auriferae Nagyagensis nondum fecit mentionem. Maximam videtur Cl. Auctori aurum habere conuenientiam cum mercurio, grauitate specifica, difficili vtriusque solutione in acido vitriolico, forti attractione ad acidum salis et imperfecta calcinatione vtriusque. Praeterea mercurium et aurum maxima ad se inuicem gaudere attractione, atque a mercurio fixato tam argentum, quam aurum obtineri posse. Hinc colligit, aurum eadem compositione cum argento et mercurio instrui s. id ipsum, vt mercurium summe attenuatum et fixatum, atque cum inflammabili materia eadem, quae in cupro vel stanno reperitur, arctissime combinatum confiderari posse.

Vltimum in metallis locum *Platinae* tribuit p. 365.
Cl. Auctor, quod fusione purificata auri grauitatem specificam superet, sitque ad aquam, vt 22000: 1000.

In

p. 373. In classe quarta *Concretorum* nomine contemplatur 1) *Poros*, s. eiusmodi fossilia, quae a prius descriptis fossilibus, quocunque modo destructis, sunt generata atque producta, adeoque denuo concreta: huc refert producta Vulcanica, s. *poros igneos*, et stalactites et tophos s. *poros aqueos*. 2) *Petrificata vegetabilia* et *animalia*. 3) *figuratos* lapides, qui quacunque caussa singularem figuram obtinuerunt, qui ab aliis lusus naturae dici solent, et vel in lapidibus siliceis e. g. Achatis, vel in calcareis vt dendritae obueniunt. 4) *Calculos* s. corpora, quae tam origine, quam indole a reliquis mineralibus differunt, et aliqua solum ex parte iis similia sunt. At enim vero priores s. Poros lapidibus forte melius adnumerari censemus: plurimae enim terrae ex dissolutis lapidibus ortae sunt, et plures hinc iterum lapides, priori Classi a Cl. Auctore inserti. *Calculi* autem omnino ex regno mineralogico sunt relegandi. Atque etsi Petrificata melius in physica telluris consideratione, et figurati lapides in tractatu de origine fossilium aptius indicarentur, tamen horum enumeratio *appendicis* loco hic non solum excusanda, sed et laudanda videtur. Petrificata quoad diuersitatem vegetabilium et animalium Cl. Auctor enumerat, atque plura commemorat rariora, multaque de eorum situ et mutationibus telluris notatu digniora refert, quae tamen omnia nos Lectoribus ipsa legenda et iudicanda relinquimus.

IX.

Beytrag zur Mineralgeſchichte von Siebenbürgen. Erſter Theil. Welcher die Nachricht von den Verſteinerungen des Grosfürſtenthums Siebenbürgen, mit einem Anhange und beygefügter Tabelle, über die ſämmtlichen Mineralien und Foſſilien dieſes Landes, enthält. Zweyter Theil, welcher die Geſchichte des Steinſalzes und der Steinſalzgruben, mit einer, das Streichen des unterirdiſchen Salzſtocks, durch mehrere Länder andeutenden Karte, und andern Kupfern, verfaſſet von IOHANN EHRENREICH VON FICHTEL, *Kaiſerl. Königl. würklichen Kammerrath im Grosfürſtenth. Siebenbürgen, und Ehrenmitglied der Berliniſch. Geſellſchaft naturforſchender Freunde; und herausgegeben von der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin, mit einer Landkarte und 6 andern Kupfern. Nürnberg, im Verlag der Raſpiſchen Buchhandlung, 1780. 4. 1 Alph. 14 Bog. 11 Kupfert.*

i. e.

Specimen hiſtoriae mineralogicae magni ducatus Transſiluaniae. Pars I. Relatio de Petrificatis. Pars II. Hiſtoria Salis communis natiui et ſalinarum. Auctore IOANNE EHRENREICH VON FICHTEL.

Nulli dubitamus, quin omnibus hiſtoriae naturalis cultoribus relationes, hoc libro contentae, acceptae et vtiles ſint futurae, quum corpora naturalia regionis, quae hoc reſpectu plane fere eſt incognita, in eo deſcribantur. Cl. Auctor in deſcriben-

ſcribendis petrefactis omnem adhibuit diligentiam, notatuque digniora ſpecimina aeri incidenda curavit: eo ordine eadem deſcripſit, quo loca natalia eadem offerunt, atque ſitus rationem montiumque naturam, vbi eadem reperiuntur, diligenter notat: quae quidem methodus nobis inprimis arridet, cum exinde ad mutationes globi terraquei optime colligere liceat. Accepta etiam omnibus erit addita mappa geographica Transſiluaniae correcta. Omni fere genere Conchyliorum petrefactorum, Lignorum et Coralliorum Transſiluania abundat, ex quibus nobis, per inſtituti rationem, pauciſſima tantum nominare licet.

p. 19. In comitatu *Szolnok* prope a vicu *Sibo* colles argillaceo arenacei petrefactis repleti ſunt, inter quae *Gryphitae* eximiae magnitudinis notari merentur, qui ſeptem pollices magnitudine, 5 latitudine, duos craſſitie, et 2 vel 3 libras pondere aequant: vtraque valuula inſtructi raro occurrunt; attamen talem et alium integrum Cl. Auctor, Tab. II. f. 1. 2. depingi curauit.

p. 29. In comitatu *Koloss* prope a pago *Korod*, duo milliaria a *Klauſenburgo* diſſito, collis mediae magnitudinis ſenſim adſcendens offert terrae lapſum, in quo ſtrata, collem componentia, plane conſpiciuntur: humus ſtratum primum pedale efficit, tum ſequitur arena flaueſcens marina, 3 pedes craſſitie aequans, deinde ſtratum calcinatorum et partim petrefactorum conchyliorum, duos aut tres pedes altum, atque denique ſtratum arenaceum. Ex his ſtratis, ſecundum et quartum petrefactis omnino carent. Veſtigia hic olim factae inundationis recte, vt nobis videtur, inueniri ait. Infimum ſtratum arenaceum tamquam ex aqua praecipitatum aſſumit, noua inundatione facta teſtacea aduehebantur, et compingebantur, atque ex illic commorante aqua

alterum

alterum ſtratum arenaceum deponebatur, quod denique humus, aquis diffluxis, tegebat. Non quidem defendit Noſter hanc inundationem fuiſſe diluuium Noachale, attamen cum oceano cohaeſiſſe, ab illoque ortam eſſe atque tempus, quo hoc factum ſit, incertum eſſe. Refutat deinde Cl. Auctor opinionem, qua lacus Transſiluaniam inundans, cauſſa petrefactorum habetur: concedit tamen Poloniam quondam lacum magnum fuiſſe, atque Tyram ſibi vadum ſuum effodiſſe, diffluxo per Transſiluaniam lacu: quod quidem obſeruationibus confirmat. Hic p. 34.
inſerit ſimul breuem, at genuinam et concinnam montium Transſiluanicorum deſcriptionem: quos in altiſſimos, medios et promontoria diuidit. Priores ex Granite, Saxo fornacum LINN. et Quarzo, quod hic ſaepe magnas rupes conſtituit, componuntur. Medii ex Gneuſſo, Schiſto micaceo, argillaceo et corneo, vt et ex calcareo *granulari*, nunquam petrefactis praedito, et ſaxo metallifero BORN conſtant. Ac promontoria vel ſtratoſa, vel ex fruſtis conglutinatis variorum lapidum aliunde huc translatorum exaggerata ſunt: in his omnia petrefacta occurrunt. Pergit Noſter originem montium altiſſimorum et mediorum explicare, quae tamen nobis non omnino probatur. Eosdem enim igne generatos dicit; Quarzum eſſe *naturale* vitrum, quod ab intima ignis vi eleuatum, et illi montes vtrique ſimul eleuati ſint. Hinc neceſſe ſequi, vt quarzum, quod imum locum occuparet, iam nunc ſumma cacumina occupet; etenim in centro poſitum ſumma vi eleuatum alios lapides perrupiſſe, ac deuoluiſſe: atque hinc etiam patere, cur in montibus mediis calcareus mox a ſchiſto tegatur, mox illum tegat, cur eius ſtrata mox horizontalia ſint, mox obliqua.

Prope

p. 46. Prope a *Gyaulu* in comitatu *Koloss* copiole inueniuntur *Helicitae* ſ. *lapides-nummales*, et quidem iam humo mixtae, ſequitur ſtratum Helicitarum, pauca argilla mixtorum, tum ſequitur argilla fiveſcens, deinde ſimili modo ſtrata plura dictorum petrefactorum cum argillaceis alternant: quae quidem obſeruata inundationibus ſucceſſiuis haec petrefacta huc lata eſſe confirmant. Atque ſtrata ha helicitis compoſita, 4 orgyarum craſſitiem ſuperant. Helicitae ſemper ſunt calcarei.

p. 52. Singulare petrificatum in comitatus *Hunyad* collibus calcareo arenaceis repertum, Tab. IV. f. 6 delineatur: pertinet illud ad biualuia, et tamen omni formam habet, valuae ſunt vndatim lamellatae:

p. 63. baſis operculo lamellato praedita eſt. *Al-Peſh* eodem in comitatu petrefacta offert in collibus calcareo arenaceis maxime varia, et omnium in Transſiluania pulcherrima, quae quidem egregie a Noſtro deſcribuntur; ex omnibus vnius, Milleporites ſublatus dicti, et Tab. IV. A. B. C. depicti, mentionem faciamus.

p. 50. In agris pagorum *Banty Hunyad* et *Zenteſ*, in comitatu *Koloss* ſitorum, reperiuntur magna ſtrata, pondus nonnullorum centenariorum ſaepe aequantia, lapidis arenacei, calcarea terra conglutinati, quae in ipſa humo diſperſa ſunt, atque ſaepe Cochlitas, Buccinitas et Echinitas continent. Regio fere eſt plana, vicina tamen montibus ſummis. Si-

p. 96. mili ratione prope a pago *Talmatſch*, quod vno miliari ab vrbe *Herrmanſtadt* diſtat, duo iuxta radicem iugi montium, quod Transſiluaniam a Wallachia ſeparat, montes ſunt, qui partim ex ſtratis arenaceis particulis maioribus compoſiti, maximam partem autem ex congerie ſilicum, iaſpidis, granitae, calcarei et arenacei conſtant: qui congeſti terra calcarea arcte iterum ſunt conglutinati. His ipſis con-

geſti

geſtis lapidibus inſerti ſunt calcarei, helicitis lenticularibus repleti, quorum nonnulli pondus ſex centenariorum aequant. Haec fruſta calcarea helicitis repleta, vt et ſupra dictos arenaceos lapides inundatione antiqua, quae probabile diluuium Noachale ſit, eo in ſtatu, quo nunc ſunt, huc delata eſſe; multo antiquiore tempore vero in aliis locis et montibus ipſos lapides et petrefacta in illis formata eſſe, quod tempore praeadamitico factum eſſe ſuſpicatur.

In monte, prope a Klauſenburgo ſito, *Feleker* dicto, quo altius venias, eo maiora, oualia, vel globoſa fruſta lapidis arenacei, calcarea terra conglutinati, vbiuis reperiuntur: eademque etiam in aliis vſque ad Thordam extenſis montibus, vt et prope ab Hermanſtadt in collibus arenaceis Noſter inuenit. Quorum quidem originem a conglutinata arena cum calcarea terra, atque volutatione in aqua deriuat. Praeterire cogimur plura lectu digniſſima. p. 117.

In appendice indicat Cl. Auctor breuiter foſſilia Transſiluaniae ea, quae nondum ſunt deſcripta. Simul montis *Büdos*, qui vulcanus etiamnum intus vrens eſt, deſcriptionem ſuccinctam addit. Tabula ſynoptica indicat loca, in quibus hoc vel illud minerale inueniantur, et minerales aquae ſcaturiant. p. 121.

Accedimus ad partem alteram, quae, vt titulo indicatur, hiſtoriam Salis foſſilis continet. Docet igitur Cl. Auctor Sal in Transſiluania cohaerentem atque praegrandem maſſam ſolidam efficere, quae ſub terra, inſtar iugi montium extendatur, mox cadat, mox eleuetur, et cuius altitudo nondum ſit explorata. Nonnullibi e. g. *Szovatae*, et *Parayd* nuda haec maſſa ſalinos montes conſtituit; alibi e. g. ad *Olah Pintek*, *Billak*, *Szek* et *Homorod* iidem montes ſalini, humo tecti ſunt. Huic ingenti Salis foſſilis maſſae montes ſummos impoſitos eſſe exiſtimat, p. II. p. 15. p. 20.

quod probat obſeruationibus in montibus *Lipſchenſibus* factis: ibi enim iuxta radicem montis ſtatim ſub humo ſal reperitur, atque ſub fluuio *Lipſcha* etiam conſpicitur. In aliis eiusdem iugi montibus eadem obſeruauit: exinde colligit, ſalis foſſilis maſſam a fluuio *Zabola Putna* vſque ad montes *Ketſchkeſch Havaſch*, quod eſt ſpatium trium dierum tempore peragrandum, ſub ſummis alpibus extendi.

p. 26. Extenſio huius ſalinae maſſae, quae mappa ſubiuncta egregie illuſtratur, incipit ex mente Cl. Auctoris, circa meridiem in Wallachia prope a *Rimnik Oknauiae*, atque finitur verſus ſeptentrionem in Vngaria, iuxta *Sowar;* in Polonia autem Wielicz-kae iuxta Kracauiam. Omne igitur montium Carpaticorum iugum ſali foſſili incumbere ſuſpicatur.

p. 29. Comparat deinde hanc ſalis extenſam maſſam cum fundo maris, atque vtraque ſibi admodum ſimilia dicit. Montes vicini ſunt gypſei, atque ſal etiam argilla tegitur: interdum etiam ſchiſtus argillaceus et margaceus occurrit. Petroleum ſcaturit ea in regione, vbi ſub ſummis montibus ſal repoſitum eſt. Petrefacta prope a ſale non reperit Cl. Auctor. Fontes ſalſi, quos tanquam ſigna ſalis foſſilis aſſumit, copioſe illic dantur. Praeterea Cl. Auctor demonſtrare annititur marinae aquae ſalſedinem, ſi non productam eſſe, tamen conſeruari a ſale foſſili vbiuis fere terrarum reperiundo; amaritiem autem eiusdem a petroleo, copioſe ſuper ſale ſcaturiente dependere. Atque de his omnibus Cl. Auctor primo capite diſſerit.

p. 44. Altero capite ſalis foſſilis varietates et proprietates exponit. Purum ſal ſemper album eſt: occurrit vero etiam griſeo et nigro, raro etiam rubro et flaueſcente colore inſigne. Eſt deinde vel pellucidum, quod in fragmenta cubica diſſilit, vel fibroſum

fibroſum et ſtalactiticum, vel cryſtalliſatum cubicum reperitur.

Capite tertio corpora peregrina ſali foſſili in- P. 58.
cluſa recenſet, quorum alia ſuperficialia, caſu tum, cum iam ſalis maſſa formata eſſet, ex ſuperficie telluris illuc delata, alia profundius poſita ſunt; haec igitur iam ſolida fuiſſe arbitratur, cum ſalis maſſa formaretur. Huc refert argillam, quae venarum ad inſtar ſalem peruagatur, gypſum et cryſtallos ſeleniticas, aquam, quae interdum magna in copia interdum guttatim in ſale inuenitur, et denique carbones ligneos.

Iam capite quarto de origine huius ſalinae P. 68.
maſſae agit. Atque negat eandem talem, qualis nunc eſt, in principio telluris creatam, concedens principium ſalinum primigenium eſſe; neque ductibus ſubterraneis ex mari ortam, neque a mari praecipitatam, neque a diluuio productam, neque nouiter generatam vel adhuc formari poſſe concedit. Sed potius originem huius magnae ſalis foſſilis maſſae ex theoria LEIBNIZII *) explicat. Igitur aſſumit tellurem arſiſſe, igne extincto collectam aquam ſalinas et oleoſas partes cinerum ſoluiſſe, eamque ita ſalinis oleoſisque impraegnatam particulis loca profundiora exuſta occupaſſe, atque ſic ſalinam magnam hanc maſſam conſtituiſſe. Oleum in ſuperficie aquae manſiſſe, atque inundationibus ſubſequentibus cineres vulcanicos, arenam et lapides ſal iam induratum obtegiſſe, atque cum oleo mixta, argillae cinereae bituminoſae ortum dediſſe. Deinde, cruſta ſuperiore telluris iam indurata, imas

*) vid. EIVSD. Protogaea §. 3. et 4. edit. Genev. operr. Leibnizian. Tom. II. p. 202. 203.

abyſſos etiam flagraſſe, atque igne vulcanico terrarum lapidumque ſtrata eleuata, montes produxiſſe, ſal detexiſſe, et vulcanos effeciſſe, quales etiam in Carpathicis montibus fuiſſe teſtatur ſupra dictus BÜDOSCH. Hoc tempore etiam ductus ſubterraneos, cum mari communicantes, apertos eſſe, atque ſic marinae aquae ſalſedinem ſemper eſſe conſeruatam. Recenſet praeterea ſequentibus capitibus Cl. Auctor loca, in quibus ſalis fodinae ſint, rationes quibus fodinae aperiantur atque exſtruantur, modos quibus ſal ex fodinis nanciſci ſoleant ſalis foſſores, ac denique, qua ratione diuendatur ac in alias regiones tranſportetur. Quae quidem ſingula, cum magis oeconomiam, quam phyſicam ſpectent, nos Lectoribus legenda commendamus.

X.

Mineralogiſche Geographie der Churſächſiſchen Lande von I. F. W. CHARPENTIER, *Churfürſtlich Sächſiſchen Bergcommiſſionsrath und Oberbergamtsaſſeſſor, Profeſſor der Bergakademie zu Freiberg. Leipzig, bey S. L. Cruſius,* 1778. *Seit.* 492. *mit* 7 *Kupfert. in* 4.

i. e.

Geographia Mineralogica Saxoniae Electoralis. Auctore I. F. W. CHARPENTIER.

Originem huic libro, variae et ſummae cum doctrinae, tum vtilitatis, dedere varia itinera, quae Cl. Auctor inde ab anno 1771, mappae Saxoniae petrographicae conficiendae cauſa, ſuſceperat. Agitur vero in ea de eleuatione varia aut depreſſione varia, h. e. montibus et vallibus harum terrarum, et ſaxis aut foſſilibus, quibus hae vel illi conſtant.

p. 1. Initio docetur in mineralogica regionis cuiusque deſcriptione montium eius directionem, variamque

que altitudinem, etiam fluminum, quibus dirimantur, cursum esse indicandum: illam *barometro* definiri. Tum exhibetur Saxoniae hunc in modum descriptio, *mappa petrographica* eiusdem, in qua saxa et fossilia regionis cuiusque coloribus aut litteris, altitudo relata ad eleuationem Vitebergae supra maris superficiem numeris definitur. Diuiditur Saxonia in orientalem et occidentalem ex Albi fluuio partem. Haec e campis Lusatiae inferioris, euehitur versus meridiem in Lusatia superiori ad eum montium tractum, qui monti giganteo Silesiae adnexus hinc eo monte, qui *Tafelfichte* dicitur, terminatur, per varios deinde flexus Pirnam deductus paulatim definit.

Altera pars, quae circulos Electoralem Misenensem, Lipsicum, Montanum, Voigtlandicum, Thuringicum comprehendit, quorum priores tres plani fere sunt, Montanus ad summam paulatim altitudinem euehitur, quam monte ab Abietibus *Fichtelberg* dicto attingit, inde Bohemiam versus praeceps delabitur etiam versus *circ. Voigtlandicum*, inde leniſſimo descensu, ad Orlam vsque defertur. Reliqua pars *circ. Neostadiensis* paulo elatioribus montium dorsis assurgit. *Thuringicus* tandem, *Lipsico* vicinus, maximam partem planus est.

In Barometrica emensione altitudinis montium MAYERI *formulam* est secutus (vid. KAESTNERS *Abhandl. von Hochenmessungen durchs Barometer* §. 214).

In vlteriori diuisione fluminum maxime sequi- p. 1.
tur montiumque ductus, ex *Lusatiae inferioris superiorisque parte septentrionali* exordiens. Arena maxime conteguntur, vt *circ. Electoralis*, praeterquam quod in *hac* prope *Wehrauiam* primo *calcarei* p. 6.
lapidis strata, tum *montes arenacei*, aliquot *Lithanthracum venis* dissecti, occurrunt, etiam *argillae* et

minerae ferri alternantia ſtrata. Eiusdem *pars me-*
p. 11. *ridionalis*, *Niſſa* terminata, *ſaxis graniteis* conſtat,
qui hinc nudi extant; hinc *Schiſto micaceo* etiam
Baſaltae rupibus conteguntur. Exeunt in montem,
p. 13. *die Tafelfichte* dictum, per quem montibus gigan-
p. 15 teis adhaerent. *Pars reliqua* vltra *Niſſam Granite*
p. 18. conſtat, locis multis in baſaltae columnas exeunti-
p. 19 bus. Inde ad *Zittauiam* oppidum planior pergit,
a quo verſus meridiem altiora aſcendunt montium
iuga e *Granite*, *Lapide Arenaceo* et *Corneo Fiſſili*.
WALLER. cuius deſcriptio datur, compoſita. Inde ab
p. 22. *Olbersdorf* iugum Lapidis Arenacei, ſuper Graniten,
vt videtur, impoſiti in Bohemiam tranſit inde egre-
p. 24. ſum Albim ſequitur et Pirnae confinia occupat. *Wal-*
thersdorfi, qua mons iterum deſcendit, Granites ite-
p. 28. rum et Corneus fiſſilis comparent. Inde quae ſe-
ptentrionem ſpectat regio planior eſſe incipit, prae-
ter nonnullos montes e Corneo fiſſili, Granitae, vt vi-
p. 30. detur, impoſitos. Hic nudus iterum prope *Herrn-*
huth apparet, et in eo mons, ex *Baſalte*, cuius *vitrum*
p. 32. Achati Islandico ſimile eſt. Pergit *Granites*, *Budiſ-*
ſam, *Camentium* et Regiopontium (*Königsbrück*)
vſque, prope quod oppidum olim ſalinae fuere, inde-
que in *circulum Miſenenſem*, in quo *Stolpae* in baſaltes
exit rupes, qua occaſione data plura de hoc lapidum
genere diſſeruntur, etiam *vineae* huius circuli *Granite*
p. 40. conſtant. Tum immergit ſe infra *arenaceos lapides*,
qui a Stolpa Dohnam vſque extenduntur, atque *Ma-*
xae marmore obteguntur. Hoc mox in *Porphyri-*
ten deſinit. *Granites* iterum conſpicitur in valle
Plauenſi (*Plauiſcher Grund*,) ad *Potſchappel* vſque,
quo loco vallis incipit *lithanthracis ſtratis* nobilis.
Tum *Porphyrites* Miſenam vſque pertinet, prope
quam illa *Opali* ſpecies, quae *Pechſtein* dicitur (vid.
Clariſſ. WERNERVS in noua CRONSTEDTII Mine-
ral. edit. Tom. I. P. I. p. 124.) inter Porphyriten re-
poſita

posita integros montes, Porphyriticis similes, constituit. Reliqua pars Misenensis, et Lipsiensis circuli Porphyrite saxo constat, intra quod Frohburgi elegans genus Iaspidis, (Iaspis variegata fasciata WALLERII) reperitur.

Pars secunda circulum *Montanum* et *Voigtlandicum* complectitur, et *prima* quidem eius *sectio* confinia *Fribergae*. Huius regionis montes Gneuso maxime continentur, de quo hic pluribus agitur. Intra hos ad *Siebenlehn Spatum scintillans*, *Braunsdorfi marmoris strata* reperiuntur. Digressione hinc facta explicat Cl. Auctor naturam et rationem variasque virtutes *venarum metallicarum*, enumerat huius regionis *metalla*, *fodinarum aetatem* et *reditus*, earundemque per *cuniculos* coniunctionem ostendit. Tum regreditur ad eam huius regionis partem, quae ex litore Muldae orientali, versus septentrionem et orientem pergit. In hac prope Munzig Gneusum intra *Porphyrites* immergitur, inde prope Scharfenberg *Granites* montes componit, variis *venis metalli* sectus, in quibus etiam *Zincum* calciforme cum ferro sulphuratum CRONST. min. §. 230. reperitur.

p. 74. p. 83. p. 86. p. 87. p. 121. p. 122.

Sectio II. Regionem describit, quae Mulda, Bohemia, et circulo Misenensi limitatur. Tractus montium, quibus efficitur, leni ascensu, vsque ad Altenberg assurgunt, Granite, Gneuso, Porphyrite constant. Maxime memorabilia hoc in tractu sunt, *vena metallica Achate* constans (*der Corallenachatbruch*) *rupes* quaedam *quarzeae* e Gneuso eminentes prope *Frauenstein*, ibidem *Granites* in Porphyritem degenerans, *mons Basalteus* ad Luchauiam e Gneuso eminens, *Achates* Schlottwitzensis, *Schisti* mons cum *Lapide Arenaceo*, impositus, *Gieshuebeliae*, ibidemque *acidulae*, *metalla stanni coaceruata Altenbergae*, (*Stockwerke*), quae non orta esse, vt putant, e con-

p. 136. p. 139. p. 140. p. 142. p. 143. p. 146. p. 149.

p. 163. curſu variarum venarum, contenditur, etiam metalla *Zinnwaldenſia.*

p. 169. Regio intra *Floeham*, *Tſchopauiam*, *Poehlam* fluuios et *Bohemiae fines*, de qua *Sectio III.* exponit, verſus Bohemiam magis magisque attollitur, intra

p. 172. quam decliui lapſu deſcendit. *Gneuſo* conſtat, praeterquam quod, qua Floeha in Tſchopauiam influit, ex oppoſito latere, Porphyrites tranſit. Inſignia

p. 173. ſunt: Venae *calcarei* lapidis intra Gneuſum prope

p. 175. *Längefeld*, et *Schmalzgrube*, montes *Zoeblizenſes*, e lapidibus, *Serpentino*, Ollari, Aſbeſto, Amiantho, qui-

p. 180. bus granata inſunt, compoſiti; *metalla* argenti et ſtanni *Marienbergae*, intra quae ſaxi genus a foſſoribus die

p. 186. *Kalkgänge* dictum, Auctori illud videtur, quod Suecis *Trapp* dicitur (CRONSTEDT. Mineralog. §. 267.)

p. 189. *aquae* medicatae calidae *Wolkenſteinii*, ſaxi ſpecies in

p. 192. monte a ſuibus dicto (*der Sauberg*) ad Ehrenfriedersdorf, *ſchwarze Wacke* dictum, Baſalti ſimile, ibi-

p. 169. demque inſueta cryſtallorum genera, a quorum al-

p. 199. terum priſmaticum dodecaëdrum Fluor mineralis

p. 203. eſſe videtur; alterum priſmaticum tetraëdrum, py-

p. 210. ramide hexaëdra truncata finitum, ad Beryllos, Cl. WERNERO Auctore, pertinet. In eo tractu montium, qui a ſiluis *Waldgebirge* audit, *Granites Gneuſo* impoſitus, *metalla ſtanni coaceruata* Geyeri, et prope abhinc ſimilia *Pyritae Cupri* inueniuntur.

p. 212. *Sectione IV.* ad eam partem progreditur Cl. Auctor, quae Poehla Caffa et Tannebergenſi fluuiis atque Bohemia circumſcribitur, et magis magisque

p. 214. ad eam altitudinem, in qua mons abietum (*der Fich-*

p. 216. *telberg*) dicitur, euehitur. Efficitur maxime *Gneuſo*,

p. 219. intra quod locis multis *Lapidis Calcarei* ſtrata ſunt,

p. 230. etiam columnae *Baſaltae*, quarum tres non procul

p. 233. ab Annaberg eminent. Deinde metalla huius regionis, praeſertim *Annabergica*, e quibus Cobaltum maxime redit, deſcribuntur, etiam *Raſchauienſia*, in quibus *ſtrata* et *venae* metalli vna reperiuntur.

Sectio

Sectio V. peragratur ea circuli *Montani* pars quam Bohemia, Mulda Zwickauienſis, et Caffa fluvius, quem tamen etiam transgreditur, terminant. Etiam haec *Gneuſo* maxime conſtat, qui tamen magis cum Granite variat. In Gneuſo lapidis *calcarei ſtrata* ſunt paſſim eaque prope Bermsgrün metallifera. Hic reperitur etiam *Achates Praſius* WALLERII, deſcriptus ab Auctore, quae eſt Quarzi ſpecies (vid. Cl. WERNERVS ad CRONSTEDT. *Mineral. T. I. P. I. p.* 116.) In Granite prope Aue *terra porcellanea* eſt, eruiturque e fodina *der weiſſe Andreas Neufang* dicta; in alia, non longe a Crandorf, *interſtitium* inter Graniten et Gneuſum *minera ferri* repletum eſt: *diſtrictus* metallicus *Iohann-Georgenſtadtenſis*, inſignis eſt minerarum lapidumque varietate, in his *Luna cornea*, aliaeque Argenti minerae variis *Viſmuti* generibus, *Arſenico*, maxime *nativo*, et *Cobalto*, *Corio* et *Subere montano*, *Mica* druſica *viridi*, (vid. WERNERVS ad CRONSTEDT. p. 217.) concomitatae: diſtrictus *Eibenſtockenſis* cuius montes *Granite* maxime conſtant, intra quem *Opalus* repertus eſt, altiſſimus eorum *der Auersberg* dicitur, eſtque ſecundus altitudine poſt eum, quem ab Abietibus nominari vidimus. Eſt etiam in eo montium colluuies (*ein Seifengebürge*) in qua nonnunquam Aurum, ſaepius *Stannum*, *Opalus* et *Beryllus* reperiuntur. Diſtrictus *Schneebergenſis*, Mulda a ſuperiori ſeparatus, *Granite* et *Schiſto argillaceo* multas Quarzi particulas amplexo conſtat, memorabilem in modum, in ſe inuicem tranſeuntibus. Reduent ex hoc tractu maxime *Cobaltum* et *Viſmutum*. Memoranda in eo ſunt, marmoris fodinae ad *Kalckgrün*, et *Cinnabaris*, olim in *Schiſto argillaceo* ſparſim *Hartenſteinii* reperta.

p. 236. p. 240. p. 244. p. 245. p. 247. p. 249. p. 261. p. 267. p. 268. p. 270. p. 278. p. 280. p. 286.

Sectione VI. agitur de regione inde a Chemnitz ad Circulum Lipſicum, Ducatum Altenburgicum,

p. 293.

p. 294. cum, circulum Neoſtadtienſem, ea *Porphyrite* conſtat, qui huc tranſit e circulo Lipſienſi, praeter quod
p. 298. qua cum ſuperiori cohaeret *Schiſtum argillaceum* inque eo paſſim *Serpentinum* lapidem habet. Illius genera varia ad aedificandum adhibentur v. c. *Zeiſigwaldae* in quibus etiam Lithomarga, Iaſpides, Car-
p. 299. neoli, Chalcedonii, Amethyſti, etiam Lithoxylum reperiuntur, nec non Zwickauiae Lithanthraces, quorum fodinarum varia ſtrata pluribus enumerantur.

p. 305. *Sectione VII.* circ. *Voigtlandicus* conſideratur, *Montano*, *Bohemia*, principatu *Culmbaco Baruthenſi*,
p. 308. et Comitatu *Reuſico* limitatus. Eodem *Schiſto argillaceo* occupatur, *orientali* latere excepto, quod *granites* tenet. In eo commemoranda praecipue
p. 309. eſt *rupes* illa *der Schneckenſtein* dicta, quae *Topazios*
Tabula praebet, cuiusque facies, e quatuor mundi partibus
IV. V. conſiderata, quatuor *tabulis aeneis* exhibetur, pluri-
VI. VII. busque deſcribitur, etiam *arena metallica auri*, quae
p. 327. in *Goeltſcha* coniunctim cum *Arena ferri* reperitur.

p. 331. Pars III. *de Neoſtadtienſi* et *Thuringico* circulo exponit, et de illo ſeparatim ſectio I. Tres in eo
p. 332. montium tractus eminent. Vnus e *Schiſto* latus obſidet, quod meridiem et occidentem ſpectat, alter, qui ex Septentrionibus verſus occidentem ducitur
p. 332. e *Saxis arenaceis*, tertius (*das Flötzgebirge*) e diuer-
p. 333. ſis *ſtratis lapidis calcarei, arenacei, Schiſtorum* argillae
p. 338. varii generis, nonnunquam etiam *minerae ferri* compoſitum, quorum prius metallicis etiam venis ſecatur, verſus meridiem et orientem vergit. Hic pro-
p. 343. pe *Groscamsdorf* ferrum natiuum in lapidum ſuggeſtu (*Halde*) repertum eſt, ſed quod arte potius olim eductum videtur.

Sectio

Sectio II. eiusdem partis Thuringicum circu- p. 348.
lum, Comitatum Stollbergicum et partem Mannsfeldici amplectitur. Haec regio duabus praecipue fallibus dirimitur, per quas *Sala* et *Vnſtrutha* fluunt. Tegitur maximam partem arena, argilla, luto, humo. Infra priorem ſaxa arenacea ſunt prope *Leucopetram.* Non longe a *Numburgo calcarei lapidis*, infra quem *Wethauiae Gypſum* conſpicitur. Hi *arenacei* et *calcarei* montes per breue ſpatium occultati exeunt iterum *Eckardsbergae*, ibique initium conſtituunt montium, qui *die Finnberge* dicuntur, et adnectuntur alteri iugo, *die Haynleite* dicto. Ad hoc oppidum reperta eſt Calx martialis phlogiſto iuncta et alcali praecipitata (CRONSTEDT. Mineral. §. 206. BRVNNICH.) etiam Schiſtus aluminoſus. Reliqua eorum pars Gypſo conſtat, paſſim *calcareis* obtecto *lapidibus.* *Longiſaliſſae Stalactitae calcarei* ſtrata ſunt, et infra ea Turfae. Aliud montium iugum, parallelum alteri, *Haynleite* dicto incipit tribus horis ab *Artern*, et *Nordhuſam* vſque, verſus ſeptentrionem et occidentem pergit, et partim *Granite* conſtat. Eius dorſum ſeptentrionale aſſurgit paulo altius, et *mons Kiffhuſicus* dicitur, inſignis *ligno petrefacto in Lapidem Corneum*, cuius magna fruſta *lapidi arenaceo* inſunt. Montes, qui *Schiſtum aeriferum* continent, (*die Kupferflötzgebirge*), exaggerantur ſtratis diuerſis luti, argillae, gypſi, margae, lapidis calcarei, ſuilli, tandem *ſchiſti margacei bituminoſi* (vid. WERNER. ad CRONSTEDT. p. 73. P. I. T. I.) qui aes continet et argenti paulum. Occupant tractum per 5 – 6 miliaria porrectum, et fere tria extenſum. Sequitur ſalinarum huius circuli deſcri- p. 377.
ptio, quae omnes quum e Gypſo praecipue emaneant, quaeritur: Num forte aqua fontana per gypſeos canales deducta naturam ſalſae induere poſſit, quod argumentis quibusdam veriſimile redditur.

p. 349.
p. 350.
p. 351.
p. 354.
p. 357.
p. 358.
p. 365.

Denique

p. 385. Denique ſectio IV. ſiſtit generaliores montium
p. 386. Saxoniae contemplationes, quae breuiter luſtra-
p. 387. tur, Gneuſo maxime et Granitae inniti demonſtra-
p. 388. tur, quae ſaxa primarios montes (*die Grundgebirge*) noſtrae terrae efficiant. Id etiam de *Gneuſo* recte dici, neque eum *Granite* iuniorem aut in hoc depoſitum eſſe, probatur 1) e conuenienti vtriusque ſitu, 2) ex interiori ſtructura montium Gneuſi, 3) ex eo, quod confuſi ſaepe inuicem iacent, nam et venae metalli e Granite in Gneuſum tranſeunt, et venae Granitae Gneuſum ſecant, 4) ex affinitate eorum coloris et partium, quibus conſtant, 5) e ſtructura Gneuſi nec regulari ſatis, nec partes ante diſcretas
p. 397. oſtendentibus. Idem confirmatur §. II. quod Gneuſum per quosdam quaſi gradus in Graniten tranſit.
p. 398. §. III. agitur de diuerſis alienorum lapidum in gneuſo ſtratis maxime calcareorum, quae e teſtis conchyliorum non orta eſſe, contra LINNAEVM et BVF-
p. 407. FONIVM demonſtratur; §. IV. de Baſaltae in Saxoniae rupibus, qui vulcanicae originis eſſe non videntur.
p. 412. §. V. exponit primo, quae *montium* genera *metalli venas* contineant, quae non: tum *de venarum* origine diſputatur: refellitur opinio eorum, qui eas montium fiſſuras poſtea repletas eſſe arbitrantur; tum
p. 427. argumenta proponuntur, quae veriſimile reddunt eas in ipſis montibus lapidum quadam commutatione eſſe effectas, et quae id dubitationi obnoxium reddunt, eleuantur.

Abſoluta libri plane egregii contemplatione liceat nobis indicare quaedam, quae dubia nobis videbantur; ſunt autem haec: p. 122. omiſit Cl. Auctor *Corneum ſpathoſum* (*die Hornblende*), qui Scharfenbergae intra Graniten reperitur. Contra *Zincum* calciforme, ſulphure mineraliſatum, *nigrum* nec vidimus illinc vnquam, nec commemoratum reperimus

perimus in Cl. WERNERI Epiſtola de ſingulari generatione cryſtallorum gypſi p. 272. *in Sammlungen zur Phyſic und Naturgeſchichte, Tom. II. Faſc. 3. Lipſ.* 1780. Pag. 97. maſſa venarum in diſtrictu metallico Brandenſi dicitur maxime *Spatho ponderoſo* conſtare, quod tamen nos nunquam vidimus, niſi in iis eius regionis mineris, quae ex fodina (*der Himmelsfürſt*) eſſent apportata. Ibid. linea 16 Lapis calcareus pro Spatho Calcareo videtur dictum. P. 119. *Druſae Fluoris* mineralis Gersdorfi dicuntur conglomeratis ſpathi calcarei globulis eſſe inductae, ſed nos in aliquo, quae inde habemus, exemplis Spathum eſſe reperimus ponderoſum. Pag. 178. L. Serpentino Zoeblitienſi Nephriticus lapis dicitur inſperſus, videndum ne ſit alius. Pag. 410. originem *Baſaltae* Saxonici vulcanicam negat, quam tamen confirmare videntur ea, quae de Poehlbergenſi dicuntur.

XI.

FRIEDRICH HEINRICH WILHELM MARTINI *allgemeine Geſchichte der Natur in alphabetiſcher Ordnung, mit vielen Kupfern, nach Bomariſcher Einrichtung. Erſter Theil. Von* Aa — Alaat. *Berlin und Stettin, bey Joachim Pauli,* 1774. 8. 2 *Alph.* 5 *Bog.* 20 *Kupfert. Zweyter Theil, Von* Alaun *bis* Aonar. 1775. 2 *Alph.* 3 *Bog.* 50 *Kupfert. Dritter Theil. Von* Apa — Aufſteigung. 1777. 2 *Alph.* 2 *Bog.* 46 *Kupfert. Vierter Theil. Von* Au *bis* Bachſteinbrech. 1778. 2 *Alph.* 2 *Bog.* 42 *Kupfertaf.*

i. e.

FRIDERICI HENRICI MARTINI, M. D. vniuerſalis hiſtoria naturalis, ordine alphabetico. Pars III. — IV.

Dolen-

Dolendum omnino eſt morte praematura meritiſſimi MARTINI vtilis huius libri continuationem aliquamdiu eſſe interruptam: at nulli dubitamus fore, vt promiſſis ſuis faciat ſatis bibliopola, qui a doctorum virorum coniuncta opera eundem perfectum iri publice ſcripſit. Noſtrum autem eſſe duximus grauem aliquem b. MARTINI laborem hic merito laudare atque de inſtituti ratione ad Lectores referre.

Igitur diſpoſitionem quidem Bomariani lexici ſibi exemplar propoſuit, ſed praeter hanc nihil ex illo ſumſit: at potius nouum, Germanis potiſſimum dicatum, librum ipſe ſcripſit, additis non ſolum, quae a BOMARIO plerumque neglecta erant, nominibus ſyſtematicis, copioſiſſimisque ſynonymis, ſed etiam collatis numeroſiſſimis et commemoratis recentiorum phyſicorum Anglorum, Suecorum, Germanorum, aliorumque obſeruationibus. Atque praeterea corporum naturalium rariorum, vel notatu digniſſimorum effigies, quae, ſi placet, et viuis coloribus bene vtplurimum pictae proſtant, aeri incidi curauit, non tamen neglecta iconum aliarum fidarum commemoratione. Fontes, vnde hauſerit, diligenter ſunt adducti: vſus vero eſt optimis in ſcientia naturali Auctoribus prudenter ita, vt praeſertim eorum, qui raros et pretioſiores libros ſcripſerint, ſententias et obſeruationes plenius afferret, ad alios, magis communes paſſim Lectores remitteret.

In ipſa tractatione res, quae ſpeculatiuam Phyſicae partem ſpectant, meteororum doctrinam, anatomica, phyſiologica et diaetetica capita vel plane omiſit, vel breuiſſimis tantum attigit, atque ipſius hiſtoriae naturalis obiecta potiſſimum reſpexit. Sic quoque in botanicis breuior fuit, eaque,

quae

quae ad oeconomiam, horticulturam, venationem aliasque his similes disciplinas et artes pertinent, cum in alio libro a Cl. KRÜNITZ scripto, de quo postea separatim, exposita sint, consulto prorsus fere omisit. Praeterea quodlibet volumen in duas est diuisum partes, in quarum altera, quae deesse viderentur, supplementorum forma addi possint. Sub voce singula Germanica omnia ea recensita sunt corpora naturalia, quae Germanico idiomate ad illam referri solent, atque ex lege systematica illuc pertinent, ad quae igitur sequentibus in voluminibus referri potest. *Lexico Historiae naturalis polyglotto*, quod hic Cl. Auctor promittit, vtilissimo sane libro, diu forte adhuc carebimus. Sed in his subsistamus necesse est. Optamus, vt vtilis huius libri, qui sane omnibus naturae studiosis acceptissimus esse debet, continuationem proxime videamus.

XII.

Oekonomische Encyclopaedie oder allgemeines System der Land - Haus - und Staats - Wirthschaft, in alphabetischer Ordnung; von D. IOHANN GEORGE KRÜNITZ. *Erster Theil, von* Aa *bis* Am. *Mit Königl. Preussischen und Churfürstl. Sächsischen Privilegien. Berlin* 1773. *bey Joachim Pauli.* 2 *Alph.* 2 *Bog.* 8 *Kupfertaf.* 1773. *Zweyter Theil, von* An. *bis* Auf. 2 *Alph.* 2 *Bog.* 2 *Kupfert.* 1773. *Dritter Theil, von* Aug. *bis* Bauer, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 17 *Kupfert.* 1774. *Vierter Theil, von* Baum *bis* Biene, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 20 *Kupfert.* 1774. *Fünfter Theil, von* Bier *bis* Blume, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 15 *Kupf.* 1775. *Sechster Theil, von* Blut *bis* Broz, 2 *Alph.*

Alph. 3 *Bog.* 19 *Kupfert.* 1775. *Siebenter Theil, von* Bru *bis* Ce, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 8 *Kupf.* 1776. *Achter Theil, von* Ch *bis* Da, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 9 *Kupf.* 1776. *Neunter Theil, von* De *bis* Dy, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 25 *Kupf.* 1776. *Zehnter Theil, von* Ea *bis* Em, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 7 *Kupfert.* 1777. *Eilfter Theil, von* En *bis* Ea 2 *Alph.* 3 *Bog.* 6 *Kupfert.* 1777. *Zwölfter Theil, von* Fo *bis* Fett, 1 *Alph.* 21 *Bog.* 13 *Kupfert.* 1777. *Dreyzehnter Theil, von* Feu *bis* Fi, 2 *Alph* 3 *Bog.* 21 *Kupfert.* 1778. *Vierzehnter Theil, von* Flo *bis* Fra, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 8 *Kupfert.* 1778. *Funfzehnter Theil, von* Fre *bis* Gam, 2 *Alph.* 7 *Bog.* 14 *Kupfert.* 1778. *Sechzehnter Theil, von* Gan *bis* Gelb, 2 *Alph.* 6 *Bog.* 15 *Kupfert.* 1779. *Siebenzehnter Theil, von* Geld *bis* Geſundheit, 2 *Alph.* 6 *Bog.* 2 *Kupfert.* 1779. *Achtzehnter Theil, von* Get *bis* Glaſur, 2 *Alph.* 4 *Bog.* 31 *Kupf.* 1779. *Neunzehnter Theil, von* Glau *bis* Gra, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 13 *Kupfert.* 1780. *Zwanzigſter Theil, von* Gre *bis* Hä, 2 *Alph.* 6 *Bog.* 17 *Kupfert.* 1780.

i. e.

Encyclopaedia oeconomica ſ. ſyſtema vniuerſale Oeconomiae ruralis, domeſticae et publicae, ordine alphabetico, Auctore IOANNE GEORGE KRÜNITZ, M. D. Pars I. — XX.

Non potuimus non propter huius libri vniuerſalem vtilitatem eiusdem ſummariam facere mentionem, vt et merita Cl. Auctoris in vniuerſam rem

rem litterariam laudaremus et Lectores de inſtituti ratione certiores redderemus. Etſi quidem in primis tomis Gallico Libro *) vſus eſt, quem in Teutonicam linguam verteret, et additamentis corrigeret et augeret; tamen iam tertio volumine hoc conſilium mutauit. Erant enim illi nimis anguſti limites praeſcripti, multaque neceſſaria praeteruiſa, atque deinde Germani idiomatis ratio alium ordinem omnino poſtulabat. Igitur Cl. Auctor, cuius cognitio litteraria permagna eſt, ex omnibus praeſtantiſſimis Auctoribus collegit, quae huc pertinent, eadem ingenioſe atque iudicioſe propoſuit, ita, vt non ſolum rerum longe plurimarum, vel remotius tantum oeconomiam ſpectantium, ſed etiam plurimarum vel ſaltem notatu digniſſimarum hypotheſium et cogitationum, a Viris doctiſſimis omnium gentium paſſim propoſitarum, vniuerſale quaedam repertorium conſcriberet et perficeret. Atque igitur rerum omnium, animalium, vegetabilium, mineralium, atque arte paratarum vſum et oeconomicum, et medicum quoque commemorauit. Rerum naturalium phyſicam ſollicitam magis dilucidationem quidem Lexico hiſtorico naturali Martiniano, cuius editos tomos ſupra indicauimus, reliquit: interim tamen et rerum, oeconomicum et medicum vſum habentium, nomina ſyſtematica et characteres ad cognitionem neceſſarios; ſaepius etiam hiſtoriae naturalis epitomen praemiſit iis, quae de vſu dicenda eſſent: recte quidem ratus, cognitione corporis neglecta, Lectores et tirones praeſertim deſcripta corpora ipſos in vſum adhibere non poſſe.

*) Ei eſt titulus hic: Encyclopedie oeconomique ou, ſyſteme general de l' Oeconomie ruſtique domeſtique et politique cet. Yverdon.

poſſe. Inſtrumenta deinde etiam, et machinas, quae in artibus, opificiis et oeconomia vſui ſunt neceſſaria, diligenter deſcripſit, deſcriptionesque iconibus ſatis bonis illuſtrauit. Praecipuam quoque ſolertiam adhibuit in eruendis originibus vocum Germanicarum, conferendis ſynonymiis et homonymiis, etiam ex Latina et Gallica lingua, et in colligendis, quae ad diſciplinas ſtatiſticas et camerales pertinerent. Vbique denique Auctores librorum, veris et integris titulis transſcriptis, laudauit, qui de quauis propoſita re ſcripſerunt. Atque ſic quidem fieri potuit, vt quosdam articulos, e quibus illum de apium cultura ſolum hic nominemus, in eorum vſum, qui totum hunc librum ſibi comparare nollent, ſigillatim venderet bibliopola. Ceterum non reticenda quoque ſunt data et conceſſio et conſilium, vt in ſingulis vicis et vrbibus Boruſſicis ex publico vel eccleſiaſtico aerario hic perutilis liber emeretur, vt et presbyteri, et ipſi ruſtici ex eodem erudiantur et inſtruantur, in vniuerſum totius regni Boruſſici emolumentum, optandumque, vt idem conſilium imitari velint, in quorum eſt poteſtate.

XIII.

Kongl. Svenska Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1774. Vol. XXXV. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm, Vplasde på Salviſk a Sterbhuſets Koſtnad MDCCLXXIV. 8. pagg. 360. tab. aen. 8.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scient. Suecicae anni 1774. Vol. XXXV.

Trime-

Trimeſtre primum.

1. SVEN RINMAN *de acidorum actione in ferrum et chalybem.* Acidis variis ferri, chalybisque ſpecies alias, aliaſque immerſit, item, quae ex ferro chalybi iuncto naſcuntur opera, ab vrbe Damaſco nominata; inde generalia haec colligit: Aquam fortem plerumque vehementius agere in chalybem, quam in ferrum, quo quidem confirmetur attractio inter eam et phlogiſton in chalybe maiore copia reperiundum. Prius autem imminui aquae fortis actionem in chalybem, et in eam ſedimentum deponi, quod partim phlogiſto conſtet, partim calce ferri, quo tegatur chalybs, et acidi vis impediatur, chalybi vero inducatur ſuperficies plus minusue nigra, prouti plus minusue phlogiſti contineat, aut plus minusue dura ſit. Hoc ſedimentum non deponi in ferrum, igitur liberius durare actionem acidi in illud, et ipſum rubigini magis expoſitum eſſe chalybe. Horum vſus eſt etiam in diiudicandis illis Damaſcenis operibus, ex actione acidi, alia in ferrum, alia in chalybem. p. 3. p. 11.

2. *Machinam delineationibus ad regulas perſpectiuae faciendis deſcribit* ERICVS GEISLER. *Geom. Subterran.* p. 15.

3. *Floram Apum* edit CLAS BIERKANDER, Comminiſter Par. Gothen *prope* Skaran. Pan Apum HAGSTRÖMII, plantas, quibus apes vtuntur, recenſet, quas obſeruationes BIERKANDER confirmat, et auctо numero, plantas 407 nominat, ordine Linneano. Cum initio veris floret Ribes ramis aculeatis, Veſpae et Bombyli inuolant flores, quae inſecta Noſter forfice longiore diſſecauit, ſuadetque hac occaſione vti ad deſtruendos hoſtes apum, et qui plantas, quibus apes veſcantur, exſugant. Cum defloruit p. 20. p. 38.

ruit Ribes, difficilius occiduntur haec animalia, vt quae tum victum ex arboribus altioribus colligant.

p. 41. 4. *Structuram in fluminibus, piscibus capiendis, inprimis Salmoni*, describit CAR. IAC. HEVLEIN.

p. 47. 5. Varia *de Salmonis piscatura in Hollandia* annotat GE. MARIN, *Geometra*. In primis queritur, quod Salmones capiantur, cum propagationi operam dant, item destruatur soboles vix nata.

p. 52. 6. *De maculis gangraenosis et vlceribus, ab esu hyoscyami nigri natis*, refert CAR. M. BLOM, Med.
p. 54. Prou. Seruus rustici, aliquot supra 20 annos natus, in campo fodiens, radices Hyoscyami reperit, et comedit. Secuta sunt nota phaenomena, lassitudo, sitis, insania cet. Domum meridie rediit, hora 3 pomeridiana obdormiuit, somno ad 7 matutinam diei sequentis durante. Expergefactus, cum adhuc deliraret, vocatus medicus, cum nihil experiri posset, nisi hominem morbo correptum e campo rediisse, vti
p. 56. solus fuerat, suspicabatur, veneni quidpiam ab eo ingestum; itaque singulis horae quadrantibus cochlere aceti vini plenum praeberi iussit. Hora 6 vespertina satis compotem mentis eum reperit medicus, et de ardore et dolore pungente querentem; Pes, qui dolebat, plenus erat macularum nigrarum magnitudine globulorum minorum plumbeorum, quibus venatores vtuntur, item pustulis, aliis materiae fuscae luteae plenis, aliis ruptis, gangraena praeter affectis. Pustulae cum vlcere erant vnguis magnitudine. Occupabant pedes, brachia et dorsum. Noster iudicauit, haberi eos posse pro exanthemate critico, quod aceti sumti effectus esset, itaque porro vti iussit solo hoc medicamento, et meridie diei sequen-

quentis omnino ſanum mente et corpore reperit. Nocte ante hanc meridiem ſuperuenit diarrhoea. Comitatus ruſticum in campum didicit ab illo, quas radices comederit; aliquot enim adhuc effodiebat, tres dixit ſe deglutiuiſſe; medicus igitur trium, quae aderant, pondus inueſtigauit vnciar. 2 ½, ſcrupulor. 2.

7. *Obſeruationes ad fabam Americanam* Libidi- p. 57.
bi *pertinentes* edit P. ION. BERGIVS. Attulerat eandem nauta Suecus. Siliquas et fabas deſcriptas et pictas inuenit Noſter apud IACQVIN, (hiſt. ſtirp. amer. p. 123, 124,) nomine: *Poincianae coriariae*; quod nomen in titulo diſſertationis adhibetur, Americanorum eſt et Hiſpanorum. Habet etiam BREYNIVS, (Plant. exot. cent. 1. tab. 56. f. 5) Siliqua arbor. Guatapanae ex Coracao inſula; tandem CASSINI (*Voy. en Californie par Mr.* CHAPPE D'AVTEROCHE) narrat, quae ea de re cum Acad. Pariſ. communicauerit DON IOS. ANT. DE ALZATE Y RAMYREZ. BERGIVS
Holmiam allatas ſiliquas et fabas, ſingulas, examina- p. 59.
vit, ſapore, decoctis, infuſis, vitriolo martis, ſtypticas inuenit magis ſiliquas, quam fabas; vtuntur ſiliquis ad coria ſubigenda; atramentum a ſiliquis natum minus nigricans, quam a gallis, vt gallae magis ſtypticae videantur.

8. *Structura aedium quantum ad morbos fa-* p. 61.
ciat in vrbe Torne et vicinia docet ANDR. HELLAND, Oecon. Dir. in Lapponia. Graſſantur inprimis febris putrida, item pleuritis, praecipue apud pauperiores, quorum habitacula, ex tignis ruditer coniuncta, immediate ſolo imponuntur, nullo lapide ſubſtructo, igitur perpetuo madent; humor autem intra aedes colligitur, feneſtris vitreis carentes, aperturas habentes, quae valuis ligneis claudantur,

dantur; ipſi vero habitatores in ſolo dormiunt, pauxillo ſtramine ſubiecto, parum tecti, cet. Ad aëris humorem agnoſcendum hygrometris vi-
p. 63. tur ſimplicioribus, ex ligno pinus macro, cuius fruſta transuerſim glutine iunguntur, ita verſus vnum latus ab humore curuantur, verſus alterum, a ſiccitate. Quod paruo pretio parabilia ſint, et iiſdem vſibus inſeruiant, ac quae maiori pretio ab exteris emuntur, plurimum illa commendat, ſed vberius non deſcribit. Humidas habitationes, et adeo, quae immediate ad ſolum collocantur, valetu-
p. 67. dini magis nocere, quam frigidas. Sed tamen aërem nimium ſiccum etiam non conuenire, qualis ibi vix reperitur, niſi hyeme, in habitaculis multo igne parum tamen calefactis, vix 12 vel 15 gradus thermometri Suecici. Ex eiusmodi aëre nimium ſicco exiit ad humidiorem captandum.

p. 68. 9. *Obſeruationes quaſdam de acaris farinae et farina rancida* edit ADOLPH MODEER. Animalculum eſt *Acarus* (*Siro* LINN.) S. N. ed. XII. 266, 15. Citat Noſter, qui de illo egerint, ipſe inprimis de mediis farinam ab eo tuendi ſollicitus; non vero reperit melius, quam farinam ſaepius transmittendam
p. 73. per cribrum, cuius foramina anguſtiora difficilius tranſeant animalcula, crinibus rigidis, quibus obſita ſunt, impedita. Narrat etiam, quomodo comperit, in ſemuncia farinae eſſe 6784 acaros, imo multo
p. 74. plures, vt numerus ingens, quem LEEVWENHOEKIVS tradidit, facile credi poſſit. Cum LEEVWENHOEKIVS obſeruauerit, femellam biduo ſex ova parere, perſpicuum eſt, quantum haec animalcula, vbi nihil ipſa turbat, augeantur. Ab ipſis integumentis, quae depoſuerunt cadaueribus mortuorum, naſci exiſtimat, quam putridam, aut rancidam farinam appellant. Ad ſententiam, ſcabiem ab ipſis aut

conge-

congeneribus oriri, pertinet, quod, quae forte, tractata ab obſeruatore, in manus eius inciderant, ſtatim cutim intrare nitebantur. Id forte ipſis non ſuccedit in cute craſſiore, ſed certe in tenuiore, qualis eſt infantum.

10. *Numerum incolarum, natorum, mortuorum*, cet. paſtoratus HASSLÖF in Hallandia auſtrali edit PETR. OSBECK inde a 1749 ad 1773. p. 76.

11. *De aquae marinae colore diuerſo in aliis, aliiſque Oceani locis.* PETR. IO. BLADH, Aſſiſtens Soc. Indiae Orient. narrat, quae ipſe in itinere in Ind. Or. viderit. Vulgaris color eſt caeruleus, hoc magis ſaturatus, quo profundius eſt mare. Eum credit ab aqua profundiore eandem ob cauſſam exhiberi, ob quam aër illum nobis oſtendit. Ad littora aqua interdum viridis apparet. Plerumque vero iiſdem littoribus incumbunt nebulae denſiores. Pinguedo, phlogiſton, oleum ſubtilius, aut quocunque nomine id appellare libeat, quod mari ineſt, copioſius ad littora reperitur; Poſſe vero ab hac pinguedine naſci colorem viridem colligit ex viridi colore, quo nauis, quae aliquamdiu in mari fuit, eo loco tingitur, qui ipſi cum maris ſuperficie communis eſt. p. 82. p. 84. p. 87.

Trimeſtre Secundum.

1. *De Magneſia nigra* agit CAR. WILH. SCHEELE. Ex plurimis experimentis chemicis, magna cura inſtitutis, haec inprimis colligit: Magneſiam vehementer attrahere eam rem, quam Phlogiſton vniuerſale appellant. Augeri hanc attractionem, ſi menſtruum adſit, quod vniri poſſit magneſiae phlogiſticatae. Magneſiam, phlogiſto ſaturatam, ex nigra albam fieri, perire vero albe- p. 89. p. 96.

dinem, cum phlogiſton rurſus ſeparatur. Solutionem Magneſiae pellucidam, nullo colore tinctam, non obtineri, niſi cum phlogiſton magneſiae iunctum eſt; Cum deeſt phlogiſton, ſolutionem caeruleam eſſe, vel rubram.

p. 117. 2. *Antliae pneumaticae ſtructuram emendatiorem* edit NIC. LANDERBECK, Mag. Doc. Vpſalien. *Nolleti* forma vtitur, ſed quaedam exactiora et parabiliora efficere ſtudet. In primis valvulae loco conum adhibet, qui aërem ex recipiente emittat, reditum ſatis arceat.

p. 121. 3. *Aquae ex nubibus Londini Scaeniae* (Lund) annis 1753 – 1773. *delapſae quantitatem* ſummatim exhibet OL. NENZELIVS, Obſ. Aſtron.

p. 124. 4. *De Ceruo Tarando* varia refert IONAS HOLLSTEN, quae, diu inter Lappones commoratus, ab iis pleraque accepit.

p. 147. 5. *Pupillae figuram et poſitum, ſingularem* deſcribit et depingit ANDR. IO. HAGSTRÖM, Med. Stud. et Chir. militar. Oblonga erat vtriuſque oculi pupilla, maiori diametro verticali. Iridis nihil conſpicuum intra pupillam et albugineam, inter ſuperiorem iridis marginem et pupillam, diſtantia duplo maior conſueta, verſus inferiora interuallum id in angulum acutum deſinebat. Connatum viro vitium refert Noſter, et velut haereditate ab vno maiorum, qui eodem laboraſſet, acceptum. Viſui nihil officiebat, niſi quod, cum ſubito res intueretur, non ſtatim primo momento perfecte illas perciperet, forte, quae eſt Noſtri ſuſpicio, quod iris ad radiorum illabentium rationem, non ita promte ſe componeret, vt feciſſet circularis.

6. Quae-

6. *Quaedam huic obſeruationi* addit OL. ACREL. p. 149.
Vueae varias configurationes a conſueta recedentes nec ignotas eſſe, nec viſui multum officere. Noſſe ſe virum, cui inferius dimidium vueae fluctuet in humore aqueo, apertura ſatis magna interiecta, inter inferiorem marginem vueae et ſuperiorem ſcleroticae, per quam ſpectet obiecta, dum pupillam palpebra ſuperiore tegit.

7. *Ad machinarum quae incendiis exſtinguendis adhibentur*, ſtructuram parabiliorem, et commodiorem facientia quaedam obſeruat GERH. MEYER. p. 150.

8. *De doliorum, item cauorum ſphaericorum, menſura* agit ZACH. PLANTIN. p. 156

9. In calculis *longitudinum geographicarum* ſuperiori anno traditis quaedam emendat A. LEXELL. p. 170.

10. *Aquas diuerſarum grauitatum ſpecificarum iuxta ſe poſitas* obſeruauit PETR. IO. BLADH. Anno 1772, Iun. 27. prope inſulas Trowers et Clappers, Iuuae adiacentes, aquae marinae colorem ex griſeo in viridem mutatum vidit, limite diſtinctiſſimo et quantum viſus extendebatur, conſpicuo. Vtriusque coloris aquam, aeque calentem hydroſtatico examini cum ſubieciſſet, grauitates ſpecificas griſeae et viridis, reperit in ratione 16093 : 16086, interuallo inter aquas ad ſummum quartam partem milliaris Suecici exiſtente. Die 28 aquam ad Su- p. 172. p. 174.
matrae littus pallide rubeſcentem vidit, remotiorem a littore, caerulei coloris in albidum vergentis (*licht-blau*). Prior leuior erat altera, in ratione 16061 : 16071. Ad littus Sinenſe 20 Iul. 1772, longam faſciam aquae rubrae vidit, cui vicina erat caerulea

in albidum vergens, illius grauitas ad huius = 16075 : 16095. Haec grauitatum discrimina inter aquas sibi proximas, ipsa satis magna, eo magis attentionem merentur, cum alias in oceano illa parum variet pondus aquae. Inde Capite Bonae Spei ad insulas occidentaliores, quae ab Amstelodamo et St. Paulo vocantur, tractus est 50 Graduum longitudinis, qui illa in latitudine circiter 400 miliaribus Suecicis aequipollent, aquae vero grauitatem specificam in illo tractu non nisi intra 16151 et 16155 variari comperit.

Trimestre tertium.

p. 177. 1. *Magnesiae disquisitionem* persequitur c. w. SCHEELE, quomodo se habeat cum variis mo-
p. 189. teriis. Eamdem detexit in cineribus vegetabilium, copiosius in cineribus lignorum, minori quantitate in cinere serpilli. Partes constitutiuas
p. 191. magnesiae tuto se indicare posse dubitat, quoniam arte componere magnesiam nondum ipsi successerit. Calcinauit magnesiam, soluit, filtrauit, quos labores 11 vicibus repetiit, donec illorum taederet. Manfit semper in filtro aliquid selenitici, tantundem post vltimam calcinationem et solutionem, quantum post primam, vt suspicetur, repetitis laboribus, magnesiam omnem abituram in terram calcarem. Multae aliae egregiae obseruationes chemicae his duabus dissertationibus Cl. SCHERLII continentur, sed quae breuiter hic exponi non possunt.

p. 194. 2. Additamentum *de Magnesia* edit TORBERN BERGMAN. In primis quod ad metallicam eius naturam pertinet, quam ex eo, quod vitra tingat, colligit; id enim nullam terram puram praestare, sed calces metallicas. Attamen cum nulla terrarum metallicarum cognitarum in omnibus conuenire

Magne-

Magneſiam. Itaque de Platina del Pinto, quam vocant, cogitat, cuius terra nondum cognita eſt, aut de alio metallo adhuc incognito, ad id nouum ſaltem ea re accedente, quod difficillime fluat.

3. Etiam *experimenta cum Magneſia* inſtituit GVSTAV. AB ENGESTRÖM vſus tubulo, quo flamma lampadis in obiectum carboni impoſitum dirigitur. Ita globulo, qui naſcitur magneſia cum borace fuſa, colorem alternatim ademit et reddidit. Quoties haec mutatio repeti poſſit, non expertus eſt. p. 296.

4. *Magneſiae varietatem* ex fodina Dallandiae examinat SVEN RINMAN. Ferrifodina eſt, nomine *Klapperui*, in parochia *Freſko*. Magneſia formam ſpathi refert; ante tubulum, quo lampadis flamma in illam agitur, fere Zeolithi ad modum ſe habet, trita cum mixtura ex puluere ſilicum et lithargyrio, ita argillae ſuperinducta, vehementi igne, colorem egregium exhibet, quem *Gredelin* appellat. p. 201.

5. *Situs geographicos plurium locorum in Sconia, Hallandia*, et Prouincia *Bohus*, exhibet NIC. SCHENMARK, Math. Prof. Londini Sconiae. p. 205.

6. *De Cicuta* agit PETR. ADR. GADD. Cicutam viroſam LINN. intelligit, frequentem in pratis humidis, aquis ſtagnantibus et riuis Sueciae. Ex radice recente, retorto vaſi indita, in recipiente vapores albicantes collegit, qui, aperto vaſe, laboratorium odore ingrato narcotico repleuerunt, a quo male habuit et ipſe, et famulus laboratorii. Radice conciſa, aquae indita, innatat aquae olei ad modum ſuccus flauus radicis. Vidit Noſter, boues periiſſe, quod aquam bibiſſent, tali ſucco infectam, qui ex radice putreſcente plantae marceſcentis exierat. p. 231. p. 232. p. 234.

Quatuor

p. 235. Quatuor insecta in planta habitant. Curculionis paraplectici larua in caule nutritur, et adolescit,
p. 237. item Chrysomela nigro aenea; Lepturae aquaticae et Chrysomelae fuscae laruas non reperit intra eundem, sed ad infima folia radicalia. Canes, qui 8 aut 10 laruas curculionum deuorarant, mortui sunt inter conuulsiones, quales a Cicuta nascuntur. Mas-
p. 241. me nocet recens radix et succi plena, minus siccata.
p. 244. Destruendae plantae instrumentum commendat, quo vna cum radicibus euellatur. Id ineunte vere faciendum.

p. 245. 7. *De mali citrini succo, frigoris ope concentrando*, agit 10. CHRISTIAN. GEORGI, Pharmacopaeus Regius. Quod difficilius per aliquod tempus seruetur succus in caussa sunt mucilaginosae
p. 246. partes, item phlegma. Illas quidem vt deponeret succus, effecit, seruando eum in lagenis vitreis plenis, subere bene obturatis, nullo oleo superinfuso, in cella repositis. Ita succus per quatuor annos seruatus purior semper euasit, aquae pellucciditatem consequutus, sedimento floccoso ad fundum depositio, superiore superficie infra suber, cuticula obscuri coloris, tenaci, obducta, qua cauta remota, et succo, ne turbaretur, decantato, multo clarior et purior repertus est, saporis etiam melioris, quam cum infunderetur. Magis tamen succum a phlegmate depurandum censuit Noster. Itaque, cum pomi citrei integri, frigore valido congeliati, succus, resoluta glacie, inutilis reperiatur, quod a substantia mucilaginosa et seminibus solidis deducit, quae, calore resoluta, amarum saporem cum
p. 247. succo communicant: dimidiatum pomum, frigore debiliore congelatum, cum cortex congelatus acu pungeretur, succum emisit, non congelatam, clarum, concentratum. Hanc ergo methodum commendat,

mendat: ſcilicet ſuccum exponendum frigori debiliori, quo phlegma in glaciem abeat, nondum ſuccus acidus, id vſui maxime conueniens intra tres et quinque gradus inter punctum glaciale reperit. (Thermometri Suecici, qui cadunt inter 26, 6 et 23 Fahrenheitianos). Sed huic operationi perpetuo p. 248. adeſſe oportet, qui eam ſuſcipit, et lamellas glaciales eo ordine, quo coeunt, auferre, donec ſentiatur, aliquid acidi in glaciem abire. Glacies initio ablata ſaporis omnino expers eſt, vt aqua, quo propius ad finem operationis vergit, eo magis aceſcit. Quantitatis, quod perdi hac operatione videtur, bonitate compenſatur. Succi ita concentrati duae drachmae ſaturandae drachmae ſalis tartari ſuffiunt, cui ſcopo vulgaris ſucci non concentrati duae vnciae requiruntur. Pluribus annis ſeruari poteſt in vaſis vitreis, non ſumma cura ſubere obturatis, nec in cella repoſitis. Vſus eſt ſucco Ma- p. 249. lagae ex pomis, quae ibi maturuerant, expreſſo. Nos poma accipimus immatura decerpta, quae in itinere matureſcunt. Ex illis expreſſum ſuccum fibrillae ſequuntur, difficulter ſeparandae, vnde ſucco ſapor conciliatur mucidus.

§. *Plantarum quarundam Sueciae indigenarum vſus oeconomicos* memorat PET. HOLMBERGER, p. 250. Phil. Stud. Lini ad modum filis parandis inſeruiunt *Aſclepias vincetoxicum*, *Turritis glabra*, *Vrtica dioica*, *Humulus lupulus*, *Malua rotunda*. Modum ſingulas tractandi deſcribit, et fila educta Acad. Reg. exhibuit. Pani conficiendo inſeruit *Conuallaria polygonatum*, vaccis etiam grata, quarum lac vt cremore abundet, efficit. Ex Iunco *conglomerato* et *bulboſo* mattae menſis tegendis texantur, *Triglochin paluſtre* et *maritimum* pecori gratum eſt, ex vltimo ſal coquitur. *Epilobii anguſtifolii* pappi, calcitris p. 255. p. 256. farcien-

farciendis inſeruiunt. *Vaccinium myrtillus* colore caeruleo tingit. *Arbutus vua vrſi* tabaco miſcetur, lanae colore nigro tingendae inſeruit; bacca ſyrupum praebent. Nuclei *pruni padi*, *ceraſorum*, *pruni*, *acaciae*, oleum cibis vtile praebent, *crataegus oxyacantha* ſyrupum.

p. 258. 9. *De augmento incolarum dioeceſeos Carlſtadenſis* inde ab anno 1771 refert PETR. WARGENTIN.

p. 266. 10. *Ad Lepram* pertinet obſeruatio IO. L. ORHELII M. D. Coll. Med. Aſſeſſ. Morbum, iam notis remediis incurabilem, ſaepius tractauit duodecim annis, quibus noſocomio Regio ſeruit. Nihil profuerunt mercurialia, Fumaria, decoctum ligni iuniperi ſolum, quod medicus prouincialis LYMAN
p. 267. expertus ipſi commendarat. Sed cum idem reminiſceretur, id decoctum alias res admixtas habuiſſe, inter quas Ledum paluſtre, ſ. Roſmarin. Sylueſtr. nominabat, Noſter id tentandum decreuit, in aegra 30 annor. tum noſocomium ingreſſa. Cum antea variis morbis laboraſſet, a quibus tamen videbatur ſatis conualuiſſe, exeunte Iunio pruritum perpo-
p. 268. tuum in facie ſenſit, quem concitatae paruulae eruptiones, mox ſequuta tubera exigua dura calloſa, brachia etiam et pedes occupantia. Maxillae tumentes, tuberibus obſitae. Tuberum quidam ſponte aperti materiem tenuem ſanguineam emiſerunt, aeque ac Rhagades intra tubera reperiundae. Facies tumens, fuſca, rubens, coloris plumbei, vox rauca, reſpiratio difficilis, renes velut ad dimidium contractae. Aluo prius purgata, primo datum illi d. 9. Ianuar. infuſum Ledi, duabus vnciis immiſſis quatuor libris aquae feruentis, color infuſi erat fuſco rubens, ſapor paululum ingratus. Eius infuſi ſum-

ſit

ſe quotidie libras a dimidia ad duas. Primus effectus, dolor capitis, vertigo, calor totum corpus occupans, cum nimium ſumeret vomitus, alias hi motus febriles ſudore terminabantur. Tubera d. 12 Ian. videbantur molleſcere, tumor minui. Itaque laeta ſpe ſanitatis recuperandae tantum infuſi ſumſit, vt nimio calore agitatus ſanguis, vena ſecta, emitti deberit. Hoc modo continuauit remedii vſum ſemper cum effectu, qui ſperare iuberet, niſi quod, imminutis viribus, ſeponendum id eſſet, roborantia vero adhibenda. Sed vires non ſatis redierunt, con- p. 270.
tra paulatim magis, magisque deficere videbantur, diarrhoea etiam accedente. Lepra minui videbatur, neque tamen ſpes affulſit ſanitati recuperandae, ſed placide d. 31 Iulii obdormiuit. Retulit, quae aegrotae miniſtrauerat, medicamenta praeſcripta eam non adhibuiſſe, lactem et iuſcula, quibus veſci debebat, cum halece et nutrimentis ſalſis commutaſſe, plurimum aquae frigidae bibiſſe. His diaetae peccatis, forte etiam corpori praecedentibus morbis debilitato aliquid cauſſae adſcribi poſſe videtur, cur optatum effectum non omnem praeſtiterit remedium, forte, ſi magis faciunt circumſtantiae, maiori cum fructu tentandum.

Trimeſtre quartum.

I. GVSTAVVS AB ENGESTRÖM expe- p. 273.
rimenta ad *alumen* pertinentia recenſet. Cryſtalliſationem aluminis, ſtatuitur, impediri tum ab acido in minera ſuperfluo, tum a pinguedine comite, quibus principiis plures theoriae alumini purificando ſuperſtruantur. Illa vt examinaret, experimenta plurima, ſumma cum cura inſtituit, quorum ſpecimini loco primum deſcribimus. Lapidem ſciſſilem alumine fetum ex fodina Garphytta ita tractauit, vt in opere ipſo fieri ſolet, torrendo, lixiuium ex toſto

toſto obtinendum calore inſpiſſando, deinde cry-
ſtalliſationi exponendo, nulla re addita, quae ad cry-
ſtalliſationem aliquid faceret; cryſtalli natae ſi
Epſamenſe prodierant; lixiuio denuo inſpiſſato, cry-
ſtalliſatione Gypſum obtinuit, multo acido vitrioli
admixto. Tertia vice inſpiſſato lixiuio, cryſtalli
prodierunt, inter rhomboidicos et octoaedros me-
dii, aluminis faciem referentes, ſed tubulus, quo flam-
ma lampadis in obiecta dirigitur, fudit illos, fuſi car-
bonem intrarunt, alcali mineralis et ſalis mirabilis ad
modum, quorum ſalium quod continerent, ob pau-
citatem examinari non potuit. Quibus tentamini-
bus cum alumen verum obtinere non poſſet, co-
ctum ad eamdem fodinam alumen in aqua ſoluit,
p. 276. lixiuium cum caleſceret adhuc in tres ſcyphos vi-
treos aequaliter diuiſit, vni circiter ſemunciam
aquae calidae infudit, alteri tantundem olei vitrioli,
tertium ſibi ipſi reliquit. Id ſtatim cryſtallos ex-
guas in fundo oſtendit, in altero oleum vitrioli
pondere ſuo deſcendit, itaque bacillo commouit,
tunc ſtatim copioſae cryſtalli natae ſunt, et fundum
multae petierunt. Tardior cryſtalliſatio in reli-
quis duobus, tardiſſima in illa, cui aqua erat infuſa.
Cum omnia per noctem ſtetiſſent, decantato lixi-
vio, cryſtalli in ſcypho, cui oleum vitrioli additum
erat, minimae repertae, maximae in illo, cui aqua
infuſa. Sed pondus earum, quae cum oleo vitrioli
natae erant, maius. Ex his colligit, certe non im-
pediri cryſtalliſationem, ab abundantia acidi, oleum
vero vitrioli, aquam attrahendo, denſiores cryſtal-
los feciſſe, et adeo minores, cum reliquae, minio-
rem plus aquae continerent. Eadem, ex tentamini-
p. 296. bus variis aliis modis inſtitutis infert. Pinguedinis
vero ſpecimen nullum reperit.

2. Er-

2. *Ericam retortam* Cap. B. Sp. deſcribit LAVR. MONTIN M. D. Med. Prou. Halland., SPARRMANN miſit. Ab aliis ſpeciebus praeter reliqua, germine oblongo differt. Nomen illi datur: *Erica retorta*, antheris muticis incluſis, floribus vmbellatis, corollis conicis, foliis quaternis ciliatis, ſeta terminatis. Corolla extus reſinoſo glutinoſa eſt, vbi haerent et moriuntur muſcae et alia inſecta. Dulcis nihil in illa reſina ſenſit Noſter. Figura ramum naturali magnitudine exhibet, qui forte maximam plantae partem conſtituit. p. 297. p. 300.

3. *Pinnarum lignearum*, quibus mallei ferrum formantes eleuantur, loco, *ferreas* ope anuli ferrei, cui adhaerent, axi iungendas ſuadet SVEN RINMAN. p. 300.

4. *Formularum, parallaxi ſolis ex tranſitu planetae per illum computandae cauſſas* reddit ANDR. PLANMAN. p. 306.

5. *Corbium pro apum habitatione prae alueis ligneis praeſtantiam nouis experimentis confirmat* P. E. PRINZENSTIERNA. p. 319

6. *De farina ex Solano tuberoſo* obtinenda agit C. B. SKYTTE. Gelari radices fecit, et paulatim regelari. Expreſſo humido, farinam albam, boni ſaporis, obtinuit. p. 323.

7. *Eodem de negotio* agit BERNH. BERNDTSON, rei metall. in argentifod. Salana praefectus. Prolixe enarrat plurima experimenta, magna cum cura inſtituta, cum radicibus, gelatis, non gelatis, varie tractatis, ita pluribus modis farinae ſpecies obtinuit, p. 326.

obtinuit, quas mire laudat, et hunc radicum vſum, agricolis enixe commendat.

p. 359. 8. *Sacchari cryſtallos a natura productas* IO. L. ODHELIVS M. D. reperit in nectariis *Impatientis Balſaminae*, granulorum magnitudine. Crescente pericarpio durum erat id ſaccharum, ante aderat ſpecie ſyrupi ſpiſſi albi, quae ex glandulis exibat, ad petiolorum latera ſedentibus, in margines manans. Reperit in floribus balſaminae ſimplicibus et duplicibus, variorum colorum. In vrceis, ſub tecto habuit, ſoli inter meridiem et occidentem expoſitos. Sub dio forte ſaccharum hoc pluuia abluit.

XIV.

ALBERTI HALLERI de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. Opus quinquaginta annorum. Tom. II. Bernae et Lauſannae, ex prelis Societatum Typographicarum, CIↃIↃCCLXXVIII. 8. Alph. I. plagg. 7½. Tabul. aen. 2.

Hoc volumine quartus Hallerianae phyſiologiae liber continetur, in quo, vt notum eſt, de cordis ſtructura et motu b. Auctor diſputauit. Inſeruit autem vir ſummus huic libro non minus, atque illis, de quibus nuper retulimus *), varias nuperorum ſcriptorum obſeruationes, quae quo ſunt praeſtantiores, et ad illuſtrandas varias viui hominis actiones aptiores, hoc magis ſtudebimus, vt breuem earundem exhibeamus recenſum.

Cordis

*) vid. ſupra, p. 29. Ibidem p. 158. Auctarium ad ALBERTI HALLERI elementa phyſiologiae corporis humani excerptum ex noua editione et adaptatum veteri. Lipſiae et Francofurti, 1780. 4. laudauimus.

Cordis ipſius fabricae deſcriptionem praecedit de pleurae, pericardii, auricularum, cet. natura diſputatio. Pleura, quae ex celluloſa tela ſtipata conſtat, et peritonaeo robuſtior eſt, vel ſenſu omnino deſtituitur, vel adeo obtuſo gaudet, vt cum cute nullo modo comparari poſſit; nam permultis nuperorum tentaminibus conſtitit, et ſanam cum pleuritide pleuram repertam eſſe et abſque dolore inflammatam. Neque vero caret haec ipſa de pleurae natura opinio aliis, iiſque ad perſuadendum aptiſſimis argumentis; etenim, vt alia omittamus, CALDANO haec membrana inſenſilis fuit deprehenſa, et in alio experimento, cuius DOWIVS *) meminit, ea ipſo in homine denudata nullum doloris ſignum dedit, cum cutis irritatione vehementer doleret. Illi, qui eam aut ſanam, aut certe inflammatam dolere aſſeuerant, non adeo experimenta producunt, quam magnos neruos per ſuperficiem diſperſos; neque tamen conuenit, vt nerui per ſuperficiem euntes pleurae tribuantur, cui quippe ii ſoli adſcribi debeant, qui in eius naturam diuiduntur. p. 3. p. 4.

Inter robuſtiſſimas membranas ea, quae pericardium conſtituit, pertinet, quippe quae ea vi, qua ruptioni ſuae reſiſtit, quando ab impulſo aëre diſtenditur, omnes humani corporis membranas ſuperet. Reperit autem HALLERVS, hunc ſaccum, ſi mediaſtinum fuerit remotum, perinde vt alia magnarum cauearum velamenta, vnica membrana fieri, cuius externa ſuperficies celluloſa aliqua tela conſpicua ſit, interna vero, quae cor reſpicit, leuiſſima appareat, illaque denſior deprehendatur. Etſi autem inter nuperos Scriptores fuerunt, qui hac in re a noſtro Auctore diſcederent, in nominibus tamen ſolis omnis eorundem diſputatio cerni videtur. p. 36

*) De pleuritide. Edimburg. 1771.

p. 38. tur. Et LIEVTAVD quidem tendineam membranam, tenerumque interius velamentum et cellulosum textum, qui vtramque membranam vniat, distinguit, et in maioribus, senilibusque corporibus tendineas fibras admittit, quas cum diaphragmatis tendineis fibris continuari dicit, sed nihil, quod huic opinioni robur adderet, Noster in funeribus reperit; hinc, qui LIEVTAVDII obseruationibus vti inter compositas membranas pericardium referunt,
p. 40. a vero omnino aberrant. SABBATIER nuper spasmodicam huius sacci constrictionem admisit, veruntamen neque tendo conuellitur, neque quicquam tendinei in humano pericardio est.

Aqua huius sacci male a permultis vel negata prorsus est, vel praeternaturalis habita; namque rari non sunt Auctores, qui eam aut in funeribus, aut in viuis, sanisque hominibus deprehenderint.
p. 48. Sic GREDINGIVS, qui multa cadauera dissecuit, eam nunquam non reperit, et similes sunt BASSANI de homine subito mortuo, et P. C. FABRICII de apoplectico obseruationes. In hominibus vltimo supplicio affectis HALLERVS ipse de huius humoris praesentia fuit conuictus, atque adeo vera esse deprehendit SCHNEIDERI, VINKII, STOERKII, cet. placita, qui in hominibus semper eam adesse
p. 51. statuerunt. Indoles huius aquae eadem fere est, quae pleurae et peritonaei lymphae, quippe quae ab affuso meraciori vini spiritu in flocculas, fibraque abeat, et demum sponte in gelatinam mutetur.
p. 54. Ceterum in viuo homine nonnunquam hic liquor crassescit, atque cor velut gelatina quadam obdu-
p. 58. cit, et in tabe, pectoris hydrope, asthmate, prout etiam post cordis palpitationes, animi deliquia, aliaque mala hoc ipsum viscus cum sacco suo fibris quibusdam ex pericardii aqua natis coniunctum, hacque ratione cum cordis motum, tum respiratio-

nem

nem fuiſſe impeditam relatum eſt. Ipſum etiam pericardium morbis variis, iisque cordis motum prohibentibus afficitur. Sic mox craſſum, carnoſumque, mox cartilagineum, aut oſſeum illud redditum fuiſſe VIEVSSENII, aliorumque experientia conſtitit.

Corde omnia ea animalia, quae aut arteriis et venis, aut alterutro horum vaſorum genere gaudent, dotata ſunt; hinc latius aliquanto huius organi imperium patet, quam ARISTOTELI notum fuit. Etenim non ſolum in iis animantibus, in quibus ſanguis ineſt, hoc viſcus deprehenditur, verum etiam erucis et longe minoribus vermibus idem contigiſſe, multis nuperorum obſeruationibus euictum eſt. Non ideo tamen omnia omnino animalia corde vtuntur; namque a numeroſa polyporum gente, quae in dulcibus aquis, aut in tubulis varii generis, aut in plantarum coralloidum caulibus habitat, quemadmodum etiam ab aquatico gordio, ab holothuria, echino, taenia (quantum Noſter reperit), omnino abeſt. Vorticellae pariter nonnulli cor denegandum cenſent, ſed vero eſt ſimilior ſententia eorum, qui hoc viſcere non deſtitutum eſſe hoc animal aſſerunt. In cochlea veri nominis, certe in cochlea, quae vitales humores per ſua vaſa in corpore diſtribuit, cor nequaquam deſideratur, in terreſtribus autem et aquaticis vermibus, in ſcolopendra, marina hyſtrice, multisque inſectis illud alternis nodis interſtinctum animaduertitur. In vermibus hoc organon intra canalem alimentarium contineri, et ex duobus, tribusue truncis fieri videtur; etenim, quamquam LYONNETVS hanc partem, licet ſaliat, motuque periſtaltico agitari videatur, propterea, quod humorem ſuum in vaſa haud emittit, verum cor, certe in eruca, eſſe negat; analogiam tamen non minus, quam motum

p. 77.

p. 79.

et proportionem ad corpus cylindricum animalis huic parti cordis nomen vindicare Noſter arbitratur. Ceterum in omni animali vnum cor eſt; neque enim a monſtroſis fetibus, in quibus nonnunquam cum duobus capitibus totidem corda fuerunt reperta, neque a VIEVSSENII experientia, qui vere duo corda in eodem homine, et in quadrupede ſe obſeruaſſe retulit, obiectio repetenda eſt; nam in VIEVSSENII exemplis aut monſtroſa fabrica locum habuit, aut, prout SABBATIER arbitratus eſt, alterum horum cordum dilatata fuit caua vena.

p. 80. Cor longum erucarum et vermium, cuius quinis nodus ſeorſim ſalire dictus eſt, videtur HALLERO potius eſſe canalis alterne dilatatus, quam cordum ſeries. In nereide cuilibet articulo ſuam arteriam eſſe MÜLLERVS perhibuit, verum haud dubium eſt, cenſet Noſter, quin vna continua ſerie ſanguis a cauda ad caput promoueatur.

p. 126. Humani cordis proprie dicti, ſiue ventriculorum exterior ſuperficies membrana tegitur, quae cum extimo aortae, venarum cauarum, pulmonalium, cet velamento continuationem habet, telaque celluloſae ſuperimpoſita eſt, in qua paſſim verus, neque ab aliarum humani corporis partium

p. 128. pinguedine diuerſus adeps reponitur. Nonnunquam haec ipſa pinguis materies nimia copia in hac parte perpetuo motu exercita fuit collecta, quae etiam cor comprimeret et in minorem partem redigeret, nonnunquam autem inflammatione, aut ſuppuratione prorſus conſumta; neque enim rarum eſt, cor etiam in epidemicis malis inflammari et abſceſſibus, quorum pus in pericardium effluat, extus erodi. Aliis morbis vix effici poteſt, vt haec pinguedo euaneſcat, quippe in phthiſicis corpo-

corporibus, si nullibi haec materies supereſt, in corde tamen reperitur.

Ventriculus cordis dexter, quem recte anteriorem WINSLOWVS dixit, in adulto homine posteriori amplior eſt, ſic vt aliquando viginti quatuor drachmas reciperet, cum alter parum ſuper octo continebat. In ſenibus magnum diſcrimen locum habere, dextrumque ventriculum ſeptem, ſiniſtrum vero quinque vncias liquoris recipere PORTALIVS nuper docuit. Ceterum dexter ventriculus ſerioris temporis pars videtur, vt aliquamdiu vnico ventriculo, eo nempe, ex quo aorta prodit, embryonis cor conſtet; deinde ad tuberculi ſimilitudinem de ſiniſtro dexter emergere incipit, et aliquamdiu, (ad quintum menſem vſque,) ſiniſtro minor eſt. In maturo autem infante eadem cernitur vtriusque ventriculi capacitas, tandem dexter alterum, et eo maiori fere ratione, quo eſt aetas prouectior, vincit. Caſu hanc rationem turbari poſſe, certum omnino, repetitaque experientia confirmatum eſt; ſic MECKELIVS animaduertit, cum aorta oſſea eſſet, et ſiniſter ventriculus ſe malignius inaniret, dextro hunc fuiſſe ampliorem. Ceterum ſiniſter ſiue poſterior ventriculus, qui pleraque cum dextro communia habet, carneo ſepto ab hoc diſcernitur.

p. 132.

p. 135.

p. 161.

Fibrarum cordis verae ſeries quae ſint, dictu eſt profecto difficillimum; neque enim potuit VESALIVS, neque ALBINVS hoc aenigma enodare, neque HALLERVS ipſe, quamuis cor macerauerit, et in aceto coxerit, ad definiendam veram fibrarum eius directionem propius acceſſit. Nihilo tamen minus fuerunt, qui in deſcribenda hac re ſummo ſtudio verſarentur, inter quos LOWERVS, LANCISIVS, WINSLOWVS, SENACVS, cet. eminent, quorum proinde placita HALLERVS recenſet, ſimulque addit, LIEVTAVDIVM ad eorundem numerum

p. 175.

nuper acceſſiſſe, eum tamen ipſum ſummam operis difficultatem ſenſiſſe.

p. 202. Ad neruorum cordis hiſtoriam quod attinet, eam Noſter variis, iisque ex PORTALII et NEVBAVERI ſcriptis deſumtis ſupplementis auxit, ſimulque addidit, PORTALII obſeruata ab iis, quae ipſe animaduerterit, non raro recedere, NEVBAVERIO-

p. 208. ro pleraque cum ſuis conuenire. De ortu coronariarum arteriarum, temporeque, quo implentur, quae olim docuerat HALLERVS, ea fere retinuit, nonnullorumque nuperorum ſcriptorum, velut SPALLANZANI et SABBATIERI, tentaminibus confirmauit. Lymphatica vaſa, quae deneganda cordi omnino non ſunt, hactenus tamen neque HALLERI, neque SENACI, neque HEWSONI opera detegi potuerunt.

p. 246. Cor in contractione ſua breuius reddi, apicemque ad baſin accedere, cum Hallerianis, tum aliorum doctorum virorum tentaminibus in animalibus inſtitutis euictum eſt. Etſi autem vix vllis dubiis hoc ipſum placitum obnoxium eſſe videtur, do iis tamen animantibus, qui frigido ſanguine vtuntur, lis nondum eſt confecta putanda; etenim, quamquam SPALLANZANVS in Lacerta Salamandra, meſuris etiam captis, apicem ad baſin accedere vidit, FONTANA tamen in rana, anguilla atque teſtudine cor in actione longius eſſe confirmauit, eamque anomaliam peculiari cordis fabricae tribuit; ſcilicet molle illud eſſe, et in diaſtole ſanguinem in cor receptum a mucrone, qui ſuperior ſit, ad baſin deſcendere, ipſumque cor, accedente ſic ad baſin mucrone, breuius fieri, in ſyſtole vero hoc viſcus ſanguinem ſuum expellere, ita diſtendente humore ſe liberare, naturalemque longitudinem recuperare dixit. Iam vero perſaepe HALLERVS oppoſitum acus mucronem in ſyſtole a corde animalculi non attingi,

ttingi, in diaſtole contra omnino feriri, obſeruavit, hinc FONTANAM experimenta ſua non caute ſatis inſtituiſſe patet.

Cum cordis et auricularum caueae arctantur, p. 258.
ſanguinem, aut quemcunque continent liquorem, eas expellere oportet; vtrum autem cor penitus euacuetur, multi, neque ſine ratione, dubitarunt. Etenim in animalibus inter experimenta pereuntibus ſanguinis quicquam plerumque in corde manet, et in omnibus fere humanis funeribus ſanguinei quidam grumi, aut polypoſa coagula in caueis cordis, auriumque reperiuntur. Hinc BARTHOLINVS, SENACVS, aliique negarunt, hoc viſcus in ſyſtole ſua penitus vacuum reddi, et FONTANA in ipſo pullo, et in frigidis animalibus ruborem aliquem in contracto corde ſupereſſe, in calidis vero animalibus enectis ipſius ſanguinis aliquam copiam in eo deprehendi ſtatuit. At enim vero in nuperis p. 262.
experimentis, quae in pullo incubato fecit, ſaepe certiſſime ſe vidiſſe, refert HALLERVS, omnem ruberrimum animalculi ſanginem de albo et pellucente corde hactenus exprimi, vt omnino, absque vlla ſuperſtite purpura, ſolus albor teneri cordis ſupereſſet. Atqui haec ipſa phaenomena pariter in ſalamandra, ranaque SPALLANZANVS, et in pullo, qui ouo continetur, HARVEIVS et CALDANVS viderunt. Interim tamen facile largitur Auctor, debile cor nonnunquam minus bene euacuari, huiusque euentus teſtimonium ex infantis monſtroſi Dinkleriani, cuius cor nudum non euacuabatur, hiſtoria refert. Quodſi autem cor non prorſus vacuum redditur, ad eam tamen anguſtiam illud reduci neceſſe omnino eſt, vt in quouis pulſu nihil ſanguinis, niſi eandem ſemper copiam, quae in primo pulſu ſuperfuerat, retinere poſſit; etenim, ſi vel vnica gutta in quouis pulſu in ventriculis relin-

queretur, et in decem pulſibus totidem guttae remanerent, intra vnicum diem, in 100000 fere pulſationibus, enormem ſanguinis copiam, qualem cor continere omnino non poſſet, in eo manere neceſſe foret. Hinc etiam, quoties propter quasdam praeter naturam euenientes cauſas hoc viſcus maligne euacuatur, toties permultis in exemplis mirum in modum dilatari, immo diſſiluiſſe illud viſum eſt. Ceterum corollarium eſt huius theorematis, cor tanto eſſe minus, quanto robuſtius et perfectius ſe deplet; qua de re cum cor, tum arteriae in leone paruae ſunt, in debilibus contra, e. g. in hydropicis amplum hoc organon deprehenditur.

p. 264. Cordis conſtrictionem diaſtole ſequitur, quam primum aut omni ſanguine, aut certe parte eius plurima ſe hoc viſcus liberauit. Perpetuo itaque hoc motu minor vitalis humoris circulus abſolvitur, in quo deſcribendo Auctor eodem tramite, quem olim laudauimus *), progreſſus eſt, praeterquam quod inſtituta a nuperis quibusdam naturae ſcrutatoribus tentamina inſereret, ſua illis placita ſtabiliret, et ad motas nuper obiectiones reſponderet.

p. 381. Ad cordis motum quod attinet, etſi proxima eius cauſa in carneis fibris quaerenda eſt, ab aliis tamen muſculis hoc organon hactenus differt, quod neruorum vis in motu eius producendo ea non ſit, quae experimentis demonſtrari queat; quippe permultis a SPALLANZANO, MONROO, CALDANO, FONTANA, SWIETENIO, cet. inſtitutis periculis fuit euictum, neque immotum cor neruorum irritatione ad motum fuiſſe reuocatum, neque animal, ſi reſecti ligatiue intercoſtales et vagi nerui fuiſſent, periiſſe.

*) vid. comm. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 657.

periisse. Hinc in corde motrix quaedam causa, scilicet irritabilis virtus est, quae huius musculi motum, etiam quando neruorum praesidium amisit, aliquamdiu sustentet, atque sustineat. Quanquam p. 391. autem haec ipsa irritabilis facultas in omni musculo deprehenditur, in corde tamen super reliquas carnes potentissima est, prout vel ii scriptores, qui ab aliis HALLERI placitis alieniſſimi sunt, lubenter fatentur; et si in quibusdam experimentis hanc virtutem cor prius amisisse visum est, quam musculi, oesophagus, ventriculus, cet. ea priuarentur, pectus ante abdomen fuisse apertum, aërique expositum eius adipem coiuisse, HALLERVS opinatur; nam FONTANA suis tentaminibus fuit edoctus, cor quo est pinguius, hoc citius moueri desinere; motum vero eius hoc diutius supereſſe, quo magis calidum seruatur; hinc frigida et coacto adipe tecta haec pars ad motum inepta redditur, dum interim reliquae musculosae partes suis velamentis tectae calorem, mollitiemque necessariam conseruarunt.

A quouis stimulo, velut ab aquae gutta, a ca- p. 398. pilli tactu, cet. irritatum cor motum concipit. Nimium autem videtur esse, si a solius pericardii contactu huius organi motum fuisse acceleratum statuatur; namque HALLERVS semper expertus est, illud, vt irritetur, debere contingi. Sufficit ad hunc scopum in simpliciſſimis animalibus, quorum summa est irritabilitas, sola aqua; vorticella enim, quae in aridum pollinem abierat, ad motum, vitamque redit, si fuerit humectata. Longe potentior vero p. 399. cum ad reuocandum, tum ad accelerandum cordis motum calor est, quippe solo calido digito, aut calido humore adsperso quietum hoc organon facile ad motum redit, et languidi cuniculi a foci calore refocillari visi sunt, tametsi in musculis paralysis

lyſis ſupererat. Ceterum mechanicae irritationis ſalium acrium, aëris, cet. iidem ſunt effectus.

Quemadmodum autem variis mediis reuocati ſufflaminatus cordis motus poteſt, ita pariter non
p. 406. poſſe non eum deſtrui conſtat. Et in vniuerſum, quae necant, velut ſulphuris vapor, vomica mor viperae morſus, frigus, nimius feruor, electrica vis auctior, qualis in fulgure eſt, et quae facit, vt cor irritatum non niſi tremores aliquos cieat, cet. ea aut ipſam huius viſceris irritabilitatem deſtruere, aut certe ſtatum eius ita vitiare putanda ſunt, vt ad motum producendum omnino ineptum euadat.
p. 407. Potiſſimum autem huc ipſa contractio ſpectat, quae irritabilem vim exhaurit, cordisque vigorem languidum ſenſim atque imbecillem facit, quemadmodum FONTANA, CALDANVS, aliique experientia
p. 447. edocti ſunt. Ceterum, vt ad vegetum cordis motum redeamus, quanquam irritabilis virtus perennitatis eiusdem cauſa recte habetur, vero tamen omnino ſimile eſt, cordi per neruos aliquam vim accedere, quae motum a natura irritabili pendentem vel fortiorem, celeriorem que reddat, vel certe ad animi motus contemperet; nam, cum haec neruea virtus in aliis muſculis ad conſtantiam, magnitudinemque motus plurimum conferat, dubium nullum eſt, quin eandem facultatem in cor exſerere poſſit. Aliorum phyſiologorum de motu cordis, eiusque cauſis cogitata, quemadmodum etiam Noſtri de iis iudicia ſilentio praeterimus, et hoc vnum addimus,
p. 436. argumentum a carnium, diaphragmatis et inteſtinorum motu petitum, quo nuper FONTANA aduerſus cordis praerogatiuam vſus eſt, vix quicquam valere; nam reliquorum muſculorum irritabili vi cordis facultas maior, conſtantior atque praecocior eſt, eaque in calido pullo effectibus ſuis prius conſpicua fit, quam carnium motus deprehenduntur.

Diaphra-

Diaphragmatis priuilegium ad cordis praerogatiuam proxime quidem accedit, multo tamen lentius, et quadruplo longioribus interuallis agit, nonnullisque in occasionibus, velut in grauido feminarum statu, prorsus quietum animaduertitur, et intestinorum motus perpetuus non est, sed interuallis quibusdam interruptus; hinc comparari harum partium motus cum corde nequit, nullaque proinde est in FONTANAE obiectione vis.

XV.

EIVSDEM Bibliotheca medicinae practicae T. II. ab anno 1534 ad annum 1647. Bern. et Basil. ap. Eman. Haller et Ioh. Schweighaeuser, CIↃIↃCCLXXVII. III. Alph. 21 plagg. 4.

Tomus iste secundus ab Auctore Cl. RASTIO dicatus est, cuius libros rarissimos sibi communicantis beneuolentia haud parum se adiutum fuisse in praefatione testatur. Complectitur autem haec operis egregii pars medicos scriptores a PARACELSO inde vsque ad DIEMERBROEKIVM. Cum instituti huius vtilissimi rationem iam prima eius parte *) commemorata, cum Lectoribus communicauimus, quaedam, ex hac secunda parte, indicabimus.

Liber quintus *chemicorum* nomen inscriptum p. 1.
habet. Quamuis enim hactenus non omnino nullus, sed parcus tantum fuisset medicamentorum chemicorum in re medica vsus, quorum origo ad Arabes fere referenda est; hac tamen aetate potissimum Chemia caput extollere et principatum in re medica

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIII. Part. IV. p. 662.

medica affectare coepit; diu frustra renitentibus Italorum Gallorumque scholis, quarum plerasque in HIPPOCRATIS, ARISTOTELIS et GALENI praeceptis sibi placebant. PARACELSVM, chemicae huius reseos in Germania auctorem, medici filium, (patrium nomen ei erat HOHENHEIMER), non vt vulgo putatur in vico *Einsiedlen* pagi Suitiensis (Canton *Schweiz*), sed potius in Vico *Gaiß*, pagi Abbatis Coloniensis, natum esse, Noster ex LAVRENTIO ZELWEGERO, eiusdem pagi rectore, didicit. Plura de homine, superstitione et vanitate sua omnibus notissimo, monere superuacaneum esse ducimus.

p. 16. VALERIVS CORDVS, Hassus, tum aliis in rem medicam meritis, tum maxime *Dispensatorio pharmacorum omnium*, Norimb. 1535 primum edito inclaruit. Hunc librum a collegio medicorum Norimbergensi postea recensitum et auctum, perennem pharmacopoeorum normam, legemque ei Senatus huius ciuitatis voluit, suaque auctoritate sanxit. ANDR. MATTHIOLVS, ALEXANDER TRAIANVS PETRONIVS in L. *de morbo Gallico* petechias anno 1530 primum innotuisse narrat. Chinae et sarsaparillae, in sananda lue venerea, efficaciam laudat, mentionem etiam iniicit candelarum medicatarum, quas tamen haud probat. HIERONYMVS CARDANVS, polygraphus, polyhistor, in L. *de malo recentiorum medicorum medendi vsu*, (Venet. 1536. 8.) petechias a morbillis distinguere docet. Eiusd. opera omnia Rothom. 1663. c. CASPON. X. Voll. f. AMATO LVSITANO verum nomen fuisse auctor monet, I. RODERICO de CASTELLO ALBO. Idem postea, cum Ferrariae et alibi medicinam fecisset, Thessalonicam se contulit, et Iudaeum se palam professus est. ANDR. VESALIVS, IOH. FERNELIVS, IAC. SYLVIVS, VICTOR TRINCAVELLVS et alii.

CONRA-

CONRADI GESNERI, viri omnino eximii, scripta et in rem medicam merita fuse ab Auctore exponuntur. Praetermissis aliis plurimis egregie dictis, factisque, monemus GESNERVM, vt in *Epistolis*, quarum tres libros H. WOLFIVS Tig. 1577. forma 4. edidit, legitur, Vitrioli oleum in febribus dedisse, Herbam Paridem in mania et dolentibus haemorrhoidibus, Belladonnae succum vero ad compescendos dysenteriae dolores laudasse. Quartus epistolarum liber prodiit Witteb. 1584. 4. IO. GORRAEVS, definitionum medicarum auctor, et alii.

Liber sextus *Hippocraticos* medicos complectitur, eos puta, qui circa haec tempora solis HIPPOCRATIS GALENIque scriptis et auctoritati omnem morbos cognoscendi, sanandique artem accommodabant, vix quicquam ab hac norma deflectere ausi. In Gallia praesertim haec schola duce IAC. HOLLERIO inclaruit; Germanis interea chemicas artes, Italis vero Galenicos, Arabes et scholasticos sectantibus HOLLERIVS ipse variis in Hippocraticos libros scriptis commentariis et *materia chirurgica*, TAGAVLTII *chirurgicis institutionibus* adiecta, inclaruit, quod postremum opus Paris. 1543. f. Francf. 1603. 12. typis expressum fuit, I. PHIL. INGRASSIAS, I. BAPT. MONTANVS, alii. p. 68.

HIERON. GABVCCINI, Fanestris, L. *de lumbricis alvum occupantibus, et de ratione curandi eos, qui ab illis infestantur*, Venet. 1547. 8. Idem in L. *de morbo comitiali*, Venet. 1561. 4. 1568. 4. morbum esse ovium narrat, quo in gyrum perpetim agitantur; reperiri in mortuarum sincipite vesicas aquae plenas IOH. LANGIVS, IVL. ARGENTERIVS, CHRISTOPH. a VEGA, et alii. p. 81.

ALOYSIVS LVISINVS collectionem scriptorum omnium de morbo Gallico, Venet. 1566. f. instituit; p. 100.

tuit; qua quidem 59 diuerſorum auctorum Libri continentur. Eadem cura BOERHAAVII recuſa fuit L. B. 1738. cum titulo: *Aphrodiſiaci*, ſ. de lue venerea ſcriptores 2. Voll. f.

LISETTVS BENANCIVS; FRANC. VALERIOLA. (Hic inter primos epidemicae tuſſis anni 1557. Gallis *coqueluche* dictae, mentionem iniecit, in *appendice* ad *Locos communes medicinae*, Venet. 1553. f. Genev. 1604. 8.) IO. CRATO, GVIL. RONDELET, et alii.

p. 144. GABR. FALOPPIVS in Libro *de morbo Gallico*, Patavii primum anno 1564 edito, gonorrhoeam ab annis 25, pilorum profluuium a 30 retro annis ingruiſſe contendit. Vitrum antimonii et, quae ex eo praeparantur, medicamenta laudauit fere primus MARTIN. RVLANDVS pater, in Theſauro medicamentorum Francf. 1691. 4. c. c. RAYGERI edito. Ad Hiſtoriae medicae illius temporis notitiam Noſtra laudat LAVRENTII GRYLLI, Prof. Ingolſtad. *orationem de peregrinatione ſtudii medicinalis ergo ſuſcepta.* Prag. 1566. 4. Hoc tempore I. WYER vel WEYER ſcarabaeos maiales et vnguentum de cicuta aquatica aduerſus vagos Weſtphalorum dolores (*laufende Varen*) laudauit in peculiari *de Varia* libro editioni *operum* illius *omnium* Amſtel. 1660. inſerto MARCELLVS DONATVS, WILH. TVRNER, et alii.

p. 169. HIERON. MERCVRIALIS, THOMAS ERASTVS (LIEBER); ANDREAS CAESALPINVS. LVDOVICVS MERCATVS fere primus ex inſtituto, plenoque opere, de petechiali febre expoſuit hoc titulo: *de eſſentia, cauſis, ſignis et curatione febris malignae, in qua maculae rubentes ſimiles morſibus pulicum erumpunt per cutem*, Valladolid. 1574. 8. Eius opera omnia cura I. H. BEYER, Francof. 1698. 1614. IV. T. f.

Tomus

Tomus V. Francof. 1614. VOLCHERVS COITER, I. RIOLANVS pater, alii.

Prima editio egregiorum *operum* AMBROSII PARE' est Parisina de anno 1575, fol. IOSEPHVS QVERCETANVS. Is in Tractatu bipartito *de priscorum philosophorum verae medicinae praeparationis modo, atque in curandis morbis praestantia*, cui accedunt *de dogmaticorum medicorum legitima praeparatione medicamentorum* L. II. et *Consiliorum* L. IV. Genev, 1603. 8. tincturae auri cum spiritu nitri dulci paratae meminit. Ex vrina spiculas albida surgere, quae in glaciei speciem coagulentur, asserit, obscuro forte phosphori indicio. Mercurium medicinae adhibendum ex cinnabari restitui iubet, ne plumbo temeratus sit. Mercurium dulcem quoque laudat, circa haec ipsa tempora inuentum. IOH. COYTTARVS, IOH. COSTAEVS, REMBERTVS DODONAEVS, MARSILIVS, CAGNATVS, P. FORESTVS, et alii, obseruationum vtilitate et elegantia hodienum celebres. p. 196.

FELIX PLATER, medicus Basileensis sua aetate felicissimus, celeberrimusque non exiguam quoque famam apud posteros meruit, tum aliis libris, tum maxime *Obseruationum in hominis affectibus plerisque* L. III. Basil. 1614. 1641. 8. In febribus malignis et ardentibus acidis crebro vsus est. Ventriculis submersorum nullam, aut certe pauciſſimam aquam ineſſe obseruauit. PETRVS SALIVS DIVERSVS, I. HEVRNIVS alii. FR. DIAZ M. D. Prof. Alcaloni *Tratado de todas las enfermidades de los Rinnones vexiga y carnosidades, de la verga y vrina.* Madrit. 1588. 4. Candelarum medicatarum verum Auctorem narrat esse M. FELIPO, Chirurgum CAROLI V. Ipse DIAZ mercurio sublimato ad destruendas caruncvlas vsus fuisse videtur. ANDREAS LIBA- p. 252.

VIVS, PROSPER ALPINVS, HERCVLES SAXONIA et alii.

p. 305. GVIL. FABRICIVS, vulgo a patria HILDANVS dictus; Poliater Bernenſis. Poſthumos Viri doctiſſimi codices in Bibliotheca Bernenſi ſeruari narratur, de quibus Ill. Auctor in *Relationibus Gottingenſibus* T. XII. retulit. Inter hos Exemplum Mſ. eſt nouae editionis, quam FABRICIVS parabat, libri *von dem Nutzen der Anatomey*, in cuius prooemio torturae crudelitatem deteſtatur, magiſtratuum humanitatem pro ſontibus implorat, quibus quippe ſaepe inter tormina ſcapulae laceratae fuerint. BARTHOL. CASTELLI, VLYSS. ALDROVANDVS, IO. ALFONS. DE FONSECA, *Dicionario medico* cet. Complut. 1606. 4. FORTVNATI FIDELIS *de relationibus medicorum* L. IV. Panorm. 1602. 4. Lipſ. 1674. 8. C. P. AMMAN. et ib. 1679. 8. cum ſpurio titulo TH. REINESII *ſcholae iuriſconſultorum medicae* prodiit. Ceterum hic primus liber eſt ex inſtituto de medicina forenſi ſcriptus.

p. 344. In librum ſeptimum Cl. Auctor XVII ſeculi ſcriptores congeſſit, qui ad HELMONTIVM vſque rem medicam libris ſuis illuſtrarunt. Magna medicae artis conuerſio in hoc ſeculum incidit, cum non modo CARTESII, HELMONTII, SYLVIIque placita viciſſim reciperentur, artique vniuerſae accommodarentur; verum etiam ab HARVEIO ſanguinis circuitus detegeretur, et cortex Peruuianus, poſt magnas lites, in materiam medicam vbiuis introduceretur.

p. 350. FRANC. CITESIVS (*Citois*) in L. *de nouo apud Pictones dolore colico bilioſo*, Poitiers 1616, 8. Pariſ. 1639, 4. morbum iſtum, de quo PAVLVS AEGINETA etiam refert, nuper a. 1572 vel denuo ortum, vel exacerbatum eſſe, in Germania autem ante

70 annos primum saeuiisse, teste LANGIO, asseuerat; Plicam polonicam ante a. 1560 vel 1570 ignotam fuisse; in lue venerea nouum symptoma, pustulam crystallinam, apparuisse.

SANCTORIVS SANCTORIVS, celebris ille medicus staticus, thermometrorum etiam tunc recens inuentorum et hygrometrorum vsum primus in medicinam transtulit; Pulsilogium inuenit, quo 133 motuum differentiae distinguerentur, et multa alia, quorum magna pars describitur in *Commentario ad Fen I. I. Canonis* AVICENNAE, Venet. 1626. THEOD. TVRGVET DE MAYERNE *in Syntagmate praxeos medicae*, Lond. 1690, 1695, 8. 2 Voll. multa noua medicamenta proposuit: v. c. semen Hyoscyami in epilepsia, calamum aromaticum in vertigine, Helleborum album in mania, Mercurium sublimatum ad gr. j. in scrophulis apertis; fumum calcis viuae ad compescendam haemoptoën, fumum Guaiaci ad siccanda vlcera pulmonum, cet. acida item laudat ante SYDENHAMVM, cf. *Opera* TVRGVETI *medica* a IOH. BROWNE edita Lond. 1703, f. IOH. RIOLANVS Iunior, GREGOR. HORST, et alii. p. 352.

Magnam famam eo tempore consecutus est DAN. SENNERT, Prof. Wittebergensis, eo, quod Chemicorum cum Galenicis lites perpetuas componere conaretur, quod quidem fecit potissimum promulgato opusculo *de chemicorum cum Aristotelicis et Galenicis consensu et dissensu, c. appendice de constitutione chemiae*, Witteb. 1719, 8, Paris. 1632, 8. cet. *Operum omnium* editiones quam plurimas Noster enumerat, Venetam, etiam Lugdunenses et Parisinas. Nouissima est Lugd. 1676, 6 Voll. f. p. 393.

LOVISE BOVRGEOIS *dite* BOVRTIER, obstetrix Regia, artem suam prima recentiorum, in compendium quoddam redegit; *Observations diverses* p. 403.

ſur la ſterilité, perte de fruit, maladies des femmes & enfans nouveaux nés, Paris. 1608, 8. IOH. CHEFLET, *Puluis febrifugus Orbis Americani*, 1653. 4. Primam formulam Cardinalis de LVGO continet MELCHIOR SEBITZ, OLAVS WORM, CASPAR BARTHOLINVS, I. RVD. CAMERARIVS, et alii.

p. 439. GVIL. BALLONIVS DE BAILLON memorabilium obſeruationum copia, artisque felicitate clarus. Prae reliquis a Noſtro laudantur Epidemiorum et ephemeridum L. II. Pariſ. 1640. 4. Opera omnia cum praef. edidit THEOD. TRONCHIN. Genev. 1762. 4. LAZARVS RIVERIVS primus ſchola Monſpelienſis chemicus. In libro, qui inſcribitur; *praxis medica cum theoria*, Pariſ. 1640, 1647. 8. cet. mixturam ſuam contra vomitum promulgauit. *Opera omnia* prodierunt Lugd. 1663. f. cet. Venet. 1733. 8. CAROLVS PISO, ADRIANVS SPIGELIVS, alii.

p. 484. PETRI CASTELLI *Emetica*, Rom. 1634. f. in *libro de efferueſcentia et mutatione colorum in mixtura liquorum chemicorum*, Meſſan. 1654. 4. corticem Peruuianum attingit, eumque defendit. Putat autem eſſe *Yzic-Patli*, FRANC. HERNANDEZ. IO. HERM.

p. 488. MEIBOM, EMAN. LABADIE, PAVLVS ZACCHIAS, RENATVS MOREAV, FRANC. BACO DE VERVLAMIO, et alii.

p. 518. Libro octauo Cl. Auctor nomen IOH. BAPT. VAN HELMONT praefixit. Eum Archaeos, fermenta, morborum ortum ex acore in theoriam medicam, calida vero et heroica medicamenta in artis exercitium introduxiſſe notum eſt. Ex eius libris copioſiſſimis primus fere eſt de curatione ſympathetica, Pariſ. 1624. Operum omnium duae praeſertim laudantur editiones ſplendidae Elzeuiriorum altera anni 1648. 4. altera 1652. 4.

IOH

IOH. RHODIVS, GVIL. HARVEY, WERNER, ROLFINK, GVIDO PATINVS, alii ann. 1625 – 1628. GABR. NAVDE', *de antiquitate et dignitate ſcholae medicae Pariſienſis, panegyris.* Pariſ. 1628, 8. ZACVTVS LVSITANVS, MARCVS AVRELIVS SEVERINVS, SIMON PAVLI, cet. p. 536.

I. ANTONIDES VAN DER LINDEN. Huius Viri aliis etiam nominibus clari, libro *de ſcriptis medicis*, Amſtel. 1637. continuato et auctо a GEO. ABRAH. MERKLIN, Norib. 1686. 4. ſe non parum in hac Bibliotheca ſcribenda adiutum fuiſſe Auctor teſtatur. IAC. PHIL. TOMASINI *illuſtrium virorum* (interque hos medicorum complurium) *elogia*, Patav. 1630. 4. c. figg. et *elogia virorum litteris et ſapientia illuſtrium*, Patav. 1644. 4. *Gymnaſium Patauinum* cet. Vtin. 1654. 4. p. 580.

IAC. PRIMEROSE, Archiater Londinenſis, ſcripſit, L. IV. *de vulgi erroribus*, Amſtel. 1630. 12. *Pharmaceuticam methodum breuiſſimam*, Amſtelod. 1651. 12. Primus fere in HARVEIVM inſurrexit. IO. LAVR. BAVSCH, Swinfurtenſis medicus, eo, quod anno 1652, medicorum ſocietatem ad communicandas ſibi memorabiles obſeruationes inuitaret, occaſionem dedit Academiae Naturae Curioſorum poſtea fundandae.

BALTHASAR TIMAEVS A GÜLDENKLEE. I. PREVOT, VOPISC. FORTVNAT. PLEMPIVS. PETRVS SERVIVS, Spoletanus, ſub nomine PERSII TREVI edidit *declamationes ad Librum de Sero Lactis* RODERICI *Caſtrenſis*, Pariſ. 1632. 12. Rom. 1634. 8. Primus aquam marinam deſtillatione potabilem reddere tentauit. ADRIANVS VAN MYNSICHT, IOH. VAN BEVERWYCK, IOH. SCHROEDER, HERMANNVS CONRING, et alii. p. 589.

p. 627. Liber nonus FRANCISCI SYLVII DE LE BOE nomen in fronte gerit. Vir iſte nobilis, Hanoviae natus, omnium fere medicinae partium peritiſſimus, per multos annos L. B. artem ſalutarem docuit et exercuit. In plerisque HELMONTIVM ſectatus eſt, repudiato tamen huius Archaeo. Fermentationibus multum tribuit in morbis, potiſſimum humorum acori; vt in indole bona vel praua bilis, ſuccique pancreatici, et ſanitatis ſumma praeſidia et morborum ſemina ineſſe exiſtimaret. Hinc alcalina remedia potiſſimum, et diaphoretica in rem medicam introduxit. Prima eius diſſertatio eſt de motu animali, eiusque laeſione, L. B. 1637. 4. Opera omnia C. IOACH. MERKLIN edita Vltraj. 1691. 4. Venet. 1736. f. Genev. 1731. f. et alii.

p. 633. PIERRE LE SVRE Cleombrotus, ſ. de iis, qui in aquis perierunt Rom. 1637. 8. CLAVD. NICOL. FABRIC. PEIRESCIVS, IOH. VESLING, ANDR. RIVINVS, ROB. LYONNET, REN. CHARTIER, alii.

p. 653. THOMAS BARTHOLINVS, vaſorum lymphaticorum primus inuentor, in peregrinationibus varia edidit, e. g. *de vnicornu obſeruationes nouae*, Patav. 1641. 8. *aneuryſmatis diſſecti Hiſtoriam anatomicam*, Panorm. 1644. Ex reliquis quicquam deprompere et hic recenſere ſuperfluum foret. Celeberrimi enim viri ingenium, omnibus elegantioris medicinae amicis ſatis notum et perſpectum eſſe exiſtimamus.

p. 666. NICOLAVS TVLP, I. MORELLI, GEO. ABRAH. MERKLIN, DOMIN. PANAROLI Med. Prof. Rom. *Iatrologiſmorum pentecoſtae quinque*, Rom. 1653. 4. Hanov. 1654. 4. DILECTVS LVSITANVS, IAC. BONTIVS, HERMAN VAN DER HEYDE, et alii.

p. 691. SEBAST. BALDI vel BADI, Genuenſis, *Anaſtaſis corticis Peruuiani; ſ. chinae chinae defenſio contra ventilationes* J. I. CHIFLET, *gemitusque* V. F. PLEMPII.

Genuae.

Genuae, 1663. 4. Continetur hoc libro vniuerſa corticis Peruuiani hiſtoria, eiusdemque ab Auctore in tertianis primum adhibiti exempla. ISBRAND VAN DIEMERBROEK; THOMAS BROWN et alii.

XVI.

WILLIAM CVLLEN *Anfangsgründe der praktiſchen Arzneywiſſenſchaft. Zweyter Theil, welcher die Fieber mit Ausſchlägen auf der Haut, die Blutflürzungen, und die widernatürlichen Ausleerungen wäſſerichter Feuchtigkeiten, mit fieberhaften Bewegungen begreifet. Leipzig, bey Caſpar Fritſch,* 1780. 8. *Seitt.* 372. praetet contenta et indicem.

i. e.

Elementa praxeos medicae. Pars II. continens febres exanthematicas, haemorrhagias, profluuiaque (*fluxes with Pyrexia*). Auctore Cl. CULLEN *).

Dum de *peſte* arcenda et ſananda hic agitur, mentio fit Cl. MERTENS **), qui inter recentiores et optimos Auctores iure refertur. Bubo peſtilentialis eſt criticus, et vti abſceſſus tractandus. Carbunculi exſtirpatio nihil iuuat, eorum abſceſſus eſt naturae committendus et inciſionibus paruis, et emollientibus remediis adiuuandus. Plurimum collum, genas, pectus, dorſum et extremitates ſuperiores, et inferiores occupant carbunculi, anthraces autem dorſum. Quemadmodum bubones ſunt cri- p. 14.

 tici,

*) Primam partem v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 680.

**) *Beobachtungen der faulen Fieber, der Peſt und anderer Krankheiten. Aus dem Lateiniſchen. Göttingen,* 1779. 8.

tici, ſic anthraces et carbunculi, nec non petechiae, quae quoque apparent, ſigna ſunt ſummi gradus putredinis. Acida mineralia et cortex Peruuianus interne in leui gradu peſtis a Cl. MERTENS laudantur.

p. 31. *De variolis.* Antimonialia et mercurialia medicamenta, quae inoculatis aegris exhibentur, agunt hic, vti Noſtro videtur, vt laxantia. Variolarum inſitioni Noſter multum fauet. *De variolis ſpuriis* (*Chicken-pox*, *Varicella*) affirmat Noſter, eas ſemel tantum in vno corpore apparere.

p. 68. *De morbillis.* Non temere hic Noſter attendit ad inflammationem, quam dirigere oportet venaeſectionem, quamque valde vrget in hoc morbo. Diſtinguunt morbilli ſeſe potiſſimum catarrho et indole nimis inflammatoria a reliquis febribus exanthematicis. Quapropter reliquis multo periculoſiores ſunt, inprimis accedente peripneumonia. Superatis morbillis, plurimi medici exhibent laxantia, id quod Noſter omnino quidem non reprehendit, attamen praefert interdum venaeſectionem ad inflammatorium ſtatum corporis, hoc morbo excitatum, penitus ſufflaminandum. De regimine frigido, quod nonnulli pariter ſuadent in morbillis, ac in variolis, timet Noſter.

p. 78. *De ſcarlatina.* Hanc diuidit in ſcarlatinam cum, et ſine angina. Non raro enim anginam cum hoc morbo ſeſe coniungere, per quinque ſ. ſex epidemias, a Cl. CVLLEN intra quadraginta annos obſeruatas, Noſter vidit, et Cl. SAVVAGES quoque fiſſa ſcarlatinam anginoſam. Quapropter vtramque hic expendit et primum quidem ſcarlatinam cum angina. Quae plerumque apparet finiente aeſtate et durat per omnem hyemem. Ingrata ſenſatio collo non diu poſt ſuperuenit, et deglutitio ſaepe multo magis

magis laesa spectatur, quam in angina maligna. Ab initio epidemiae exempla Noster animaduertit, quae cynanche maligna laborantibus similia euadunt, nec haec periculo carent. Cortex Peruuianus plerumque omnino laudatur, eo autem hic non semper opus est, sed tum, cum periculosa et de putredine potissimum timendum est. His casibus exceptis, multo potius nocet cortex, inprimis si inflammationis signa interueniunt. Sequitur saepe oedema, quod, vti Noster intellexit, sponte disparet. Proficiscitur autem plerumque a refrigerio, seu ab euacuantium neglectu, et efficit, si negligentius tractatur, mortem secundum Nostri obseruationes. Facile autem cedit leniter euacuantibus remediis, potissimum diureticis.

De febre miliari. Purpuram Noster neque inter idiopathicos, neque inter epidemicos refert morbos, nec eius contagium largitur. Qui euacuationibus, inprimis sanguineis sunt debilitati, ii potissimum si facile sudant, purpura laborant. Inde Noster explicat, cur puerperis solennior est aliis. Iam enim regimine calido et omni omnino medendi methodo mutatis, apud nos Lipsiae propemodum purpura puerperis plane non amplius est molesta. Rarissime omnino etiamsi apud nos ea iam obseruatur in vtroque sexu, tamen vidimus eam, adhibita ea medendi ratione, quam volunt. p. 88.

De vrticaria, pemphigo et aphtha. Pertinent hic psydracia, porcellana et essera *). Pemphigus est rarus morbus et a Nostro non obseruatus, nec accurate satis ab aliis descriptus. Indicantur hic a Cl. CVLLEN Acta Heluetica **). Petechiis hic p. 101.

*) vid. comm. nostr. Vol. XXI. p. 435.
**) Vol. II. p. 260.

Noſter nullum concedit locum, quoniam ſympto-
maticum exanthema eſt.

p. 105. *De haemorrhagiis.* Hic Noſter haemorrhagias
modo actiuas contemplatur cum febre quadam, ſeu
ſecundum Eius noſologiam, cum pyrexia, reliquas
ſanguinis profuſiones, vti eas appellauit, hic mo-
tit et omnino de haemorrhagiis, earum diuerſitate,
plethorae varietate, periodis diuerſis haemorrhagia-
rum, de partialibus haemorrhagiis, earumque in vi-
verſum natura et origine quaedam praemittit.
Haemorrhagiae ſunt interdum periodicae, et ſan-
guis e vena miſſus in iis cruſta inflammatoriae ſimi-
plerumque eſt obductus. Apoplexiam nominatim
FRIDERICVM HOFFMANNVM haemorrhagiam ce-
rebri probat Noſter.

p. 134. *Remotis cauſſis haemorrhagiarum* conſideratis,
ad medelam venit Cl. CVLLEN. Omnes omni-
no haemorrhagias, exceptis ſolis catameniis, vi-
tandas et earum reditum eſſe, quantum fieri poteſt,
arcendum, contra STAHLIVM, aliosque Noſter di-
cit. Plethora eſt impedienda et imminuenda ad
haemorrhagias fugandas, earumque regreſſum prae-
p. 146. cauendum. Si haemorrhagia a vera plethora effi-
citur, ſeu pendet a mutatione quadam in aequilibrio
et ratione diuerſitatis in vaſis, ab initio ea non ad
extemplo ſupprimenda, quoniam ſponte ea ceſſa-
bit, ſimulac ea quantitas ſanguinis e corpore effu-
xerit, quae ad leuamen corporis requiritur. Largi-
tur autem Noſter, pluribus haemorrhagiis ſuccurri
debere, nec poſſe eas naturae ſolummodo committi.
p. 153. Ligaturis extremitatum in haemorrhagiis non ad-
eo certam atque indubitatam tribuit Noſter vim.
Lipothymiae, quae hic ſuperuenire interdum
ſolent, non ſemper ſunt ſedandae, cum ſaepe
optime iuuent.

De epiſtaxi ſ. haemorrhagia narium. Si vtrin- p. 155.
que e naribus ſanguis effluit, morbus periculoſior eſt. Plerumque ex vna parte fit, et Noſter putat, hoc ad ſtagnationem in vaſis vicinis infringendam ſufficere.

De haemoptyſi. Haec oritur ſaepius ex lae- p. 167.
ſa ratione inter diametros vaſorum pulmonis et vaſorum totius corporis. Eſt igitur et haereditaria. Superuenit potiſſimum iis haemoptyſis, qui pectoris anguſtia laborant, eminentiam ſcapularum et paruos inde pulmones habent. Aſthmate ergo eiusmodi homines ſat moleſto turbantur.

Oritur inde phthiſis pulmonalis, quae ab vl- p. 181.
ceratis pulmonibus pendet, et a Noſtro ita diuiditur. Effecit nempe Noſter quinque claſſes: Vlcera eiusmodi poſſunt formari, 1) praegreſſa haemoptyſi, 2) ſuppuratione pulmonum inflammationem ſubſequuta, 3) catarrho praecedente, 4) aſthmate et 5) nodis pulmonum praeſentibus.

Catarrhus raro, vti Noſter ratur, eſt initium p. 204.
phthiſeos pulmonalis. Interim tamen ſi vehemens eſt, coniunctusque cum inflammatione, ſiue ſi diu durat, per vehementem percuſſionem thoracis poteſt catarrhus tuberculis et indurationibus pulmonum generandis ſeruire. Ita eſt catarrhus, qui male pro catarrho habetur, initium phthiſeos, ſeu propter continuationem morbi et nimiam percuſſionem pectoris fit catarrhus cauſſa phthiſeos pulmonalis. Quapropter Noſter catarrhos non eſſe negligendos a medicis ſuadet. Sollemniſſimam cauſam p. 206
phthiſeos pulmonalis Noſter iudicat eſſe tubercula pulmonum. Quibus generandis ſeruit quoque materia calcarea, quam obſeruauit Noſter in tribus aegris et nos aliquoties obſeruauimus, praeſertim in duobus fratribus *). Refert et Noſter artifices,

vt

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 697.

vt foſſores, capillaturae ſtructores, lapicidas, molitores cet. Si phthiſis pulmonalis ab haemoptoe oritur, facilius eſt ſanatu, ac ſi a tuberculis pendet. Suſtulit interdum phthiſin hanc mania, reuertente autem mania ſanata. Grauiditas progreſſum huius phthiſeos turbat, ea vero ad finem producta, ſymptomata adeo magna vehementia apparent, vt mortem breui efficiant.

p. 221. Progreditur Noſter ad medelam huius phthiſeos. Balſamica remedia, mercurium, corticem Peruuianum, acida mineralia cet. reiicit Noſter. Diarrhoeam colliquatiuam Rhabarbarum non iuuat, ſed mediocriter adſtringentia, mucilaginoſa et opiata remedia. Tuſſim temperant opiata.

p. 238. *De haemorrhoidibus.* Quemadmodum Noſter de omnibus haemorrhagiis *), ita quoque de haemorrhoidibus ſentit, easque potius imminuendas, quam augendas eſſe ſuadet. Interea non negat, poſſe fluxum haemorrhoidalem interdum toti corpori ſeruire et morbos leuare, et tum concedit eius progreſſum.

p. 261. *De menorrhagia.* Hanc diſtinguit Noſter ab haemorrhagia vteri. Sanationem dirigere oportet diuerſitatem cauſarum. Nimio ſanguinis fluxu continuante et variis remediis tentatis, interna et externa remedia adſtringentia a Noſtro ſuadentur. Num tum paruae doſes emetici remedii conducerent? Quidquid irritat, curioſe hic vitandum eſt, et caute temperandum.

p. 272. *De leucorrhoea ſ. fluore albo.* Ob eius diuerſitatem Noſter hic de eo ſolummodo diſſerit, qui ex iisdem vaſis, vbi catamenia, profluit. Oritur a laxitate vaſorum minimorum vteri, et ſi diu durat, debilitatem corporis omnino et inprimis ventriculi effici

*) vid. ſupra p. 246.

efficit. Potest et genitalia debilitare et sterilitati seruire.

De amenorrhoea. Haec est duplicis generis et cernitur vel in retentione, vel in suppressione catameniorum. Emmenagoga omnino non magnifacit, electricitatem autem *) ad vasorum robur augendum, vti alias, ita et hic laudat. In fine etiam dysmenorrhoeae iniicit Noster mentionem, quacum dolores dorsi, lumborum et abdominis sunt coniuncti. Hanc difficultatem adscribit Noster vasorum debilitati vel potius spasmis. p. 277.

Venit Noster *ad euacuationes nimias praeternaturales non sanguineas cum febre* (profluuia, fluxes with pyrexia). Horum Noster duas solummodo contemplatur, catarrhum nempe et dysenteriam, atque ita ab aliis Auctoribus, vt MACBRIDE cet. discedit. p. 292.

Catarrhum Noster sanis, nec adeo annosis iudicat morbum facilem, iis vero, qui pectore laborant, et ad phthisin pulmonalem procliuibus multo periculosior est, quoniam, vti non multum ante in capite de phthisi docuit Cl. CVLLEN, tuberculis generandis in pulmonibus occasionem dat. Senibus catarrhus peripneumoniae nothae originem praebet saepe letalis. p. 298.

Catarrhi species Noster duas commemorat, quarum vna pendet a frigore s. a refrigerio, altera a contagio repetitur. p. 302.

De dysenteria. Specificam contagiosam materiam, quae per refrigerium excitatur, Noster remotam p. 308.

*) Considerations on the efficacy of electricity in removing female obstructions. By IOHN BIRCH. Lond. 1779. 8. cuius libri versionem Germanicam inuenient Lectores in libro perutili continuato et ita inscripto: *Sammlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte, 4tes Stück, des 5ten Bandes. Leipzig*, 1779. 8.

tam cauſam dyſenteriae iudicat. Proxima cauſa, ſeu praecipua eius pars, vti Noſter ratur, ſpectatur in praeternaturali contractione, et excrementorum re-tentione coli, ſpaſmos et dolores, mucoſas euacua-tiones et tenesmum efficiente. In contractione itaque coli impedienda et excrementis euacuandis verſatur praecipua medela. Ad id efficiendum Noſter laudat tartarum emeticum in parca doſi, vt laxet. Rhabarbarum hic non iuuat. Ipecacuanhae radici nullam Noſter tribuit, vti ſolent, hic ſpecifi-cam vim, nec aliter hic vtilem eſſe putat, eius vſum quam ſi purgat. Venaeſectionem dirigit febris et in-flammatio. Quod ſi vero dyſenteria putridae indolis eſt, omittenda eſt venaeſectio. Adſtringentia pro-ſus hic nocent. Si autem ſuperuenit febris inter-mittens dyſenteriam, febris ratio eſt habenda.

XVII.

IOSEPHI XAVERII REHMANN aphoriſmi de cognoſcenda et curanda lue venerea. Friburgi Brisgouiae, typis Ioannis Andreae Satron, Academiae Vniuerſitatis typographi, 1778. 8. pagg. 38. praeter prooemium et indicem.

Quemadmodum BOERHAAVIVS aphoriſtica ſcribendi methodo vſus eſt, ita et Noſtro hic placuit eum imitari. Ergo, prolegomenis praemiſſis, in libro primo de affectibus et morbis luem veneream praecedentibus, in ſecundo de affectibus et morbis luem veneream conſtituentibus, in tertio de hydrargyroſi, ſeu cura per mercurium varia diſ-
p. 2. ſeritur. Virus venereum ſingulare abſque omnibus aliis diſtinctum, ſubtile, fixum, acre et muco animali affine eſt, a quo facillime excipitur, irretitur, figitur, et qui in virulentam naturam ſuam paullatim totus

totus conuertitur. Cuius origo eſt incerta, primo de ea ſcripſiſſe Germanos antiquiſſimis exemplis probatur et Cl. ASTRVC ſententia reiicitur.

Indicatio curatoria expoſcit, vt mucus illico p. 12.
amiaſmate liberetur, aut vna cum eo abſtergatur ac deſtruatur, vel diluatur, eluaturque. Deſtruitur ille mucus per lixiuium alcalinum ex alcali cauſtico praecipue illo ſaponariorum dicto paratum *). Muco enim deſtructo, virus in eo nidulans penitus eneruabitur. Ad affectus et morbos luem veneream praecedentes refert gonorrhoeam, tumores teſticulorum, praeputii, phimoſin, et paraphimoſin, inguinum panum, bubonem, exulcerationes et vlcera, excreſcentiasque.

In libro ſecundo agitur de ſcabie, de nodo, p. 25.
tumoribus oſſium, doloribus nocturnis, affectibus et morbis variis oculorum, aurium, narium, oris, primariis reuerſis ſecundariis dictis, connubio luis venereae cum cachexiis variis, deque indicatione curae. His omnibus praemiſſa hydrargyroſi (excepta cachexia ſcorbutica, quae ante hydrargyroſin curanda,) canones artis generales opponendi ſunt.

Progredimur cum Noſtro ad mercurialium p. 30.
medicamentorum varium vſum. Vel deglutitur, vel ano iniicitur, vel ſuperficiei externae applicatur mercurius. Deglutitur aut ſolus, aut mixtus, aut praeparatus; iniicitur ano mixtus, vel praeparatus in clyſmate; applicatur externe, vt abſorbeatur, praeparatus, mixtus balneis, lauamentis, fumo ſuperficiem alluente, vnguento eam illiniente. Poteſt quoque hydrargyroſis in topicam et generalem diſpeſci.

XVIII.

*) v. KERN diſſ. de infallibili remedio prophylactico ſyphileos.

XVIII.

HVNGERBYHLER, Conſtantienſis Acroniani, Medicinae Doctoris de oleo ricini, medicamento purgante et anthelmintico praeſtantiſſimo, cum icone. Friburg Brisgouiae, apud Antonium Wagner et filium 1780. 8. pagg. 45.

Praemiſſa huius olei *) ex veteribus et recentioribus hiſtoria, ſignatura botanica plantae, ex qua hoc oleum obtinetur, hic a Cl. Auctore communicatur et icone illuſtratur. Dein ad olei praeparationem et doſin progreditur, easque accurate
p. 14. deſcribit. Ordinat hoc oleum ricini ad claſſem purgantium, et aluum ſoluit ſine omni pene irritatione ſecuriſſime et promte. Mundat abſolute primas vias, dum purgantia alia, praeſertim ſalia media, producunt ſedes abundanter quidem et plurimas diarrhoeae ad inſtar, ſed ſupra faeces duras in inteſtinis diu detentas erepunt, oleum ricini autem eas continuo rapit.

p. 17. Vſus eſt Noſter hoc oleo in tenſione inflammatoria, conuulſiua, haemorrhagiis, in vomitu cruento, haemoptyſi, hernia incarcerata, qualiscunque pars ſit incluſa, in omni grauiditatis tempore, in febribus continuis puerperii, denique vbi catamenia, aut effluxus ſanguinis in principio morbi continui ſeſe declarare incipit, ſtadia critica, in quibus euacuationum mora tam ſaepe eſt funeſta. Et analogia oleum hoc Noſtro bene conducere videtur, ſi aluus ſit ducenda, aegris ſcyrrho, cancro, ex vlcerationibus internis renum, vteri cet. haemorrhoidibus, fiſtula ani, vrinariis viis, catarrho vesicae, aſthmate conuûlſiuo, cet. laborantibus.

Non

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 657.

Non minus neceſſarium Noſter arbitratur, p. 18.
deſignare morbos, quibus ſanandis haec medicina impar eſt; ad horum claſſem pertinent indigeſtio, ventriculus flaccidus, anorexia cum nauſea, acidum praedominans, apoplexia, aſthma humorale, diabetes, coeliaca paſſio, herniae non incarceratae.

Venit Noſter ad vtilitatem huius olei in me- p. 18.
dicina ſpeciali affirmatam. 1) Alexipharmacum. 2) In colica pictorum. 3) In vermibus.

Non ſatis affirmatur vtilitas huius olei 1) in p. 41.
morbo venereo. 2) Nobilis alternis vicibus olei oliuarum loco condiuit oleo ricini acetaria ad alvum facilitandam, et Cl. CANVANE affirmat non ſolum hanc huius olei vtilitatem, ſed etiam ei tribuit vim refrigerantem, qui dolores violentos a podagra et calculis temperat. 3) In febre ardente et angina.

Folia ricini cum lacte cocta et externe appli- p. 43.
cata maturant. Proſunt vlceribus artificialibus conſolidandis, herpeti, ſcabiei, tineaeque.

Addit Noſter modum praeſcribendi hoc p. 44.
oleum, guſtibus variis et intentionibus accommodatum et iconis explicationem. Vltimo loco et corallinae *) mentionem fecit.

*) v. CAROLI FRIDERICI HAPPII diſſ. ſiſtens vermium inteſtinorum hominis hiſtoriam. Lipſ. 1780. 4. p. 47.

XIX.

Physikalisch Metallurgische Abhandlungen über die Gebürge und Bergwerke in Ungarn, von IOHANN IACOB FERBER, *Professor in Mietau und verschiedener gelehrten Gesellschaften Mitglied. Nebst einer Beschreibung des Steyerischen Eisenschmelzens und Stahlmachens, von einem Ungenannten. Berlin und Stettin, bey Friedrich Nikolai,* 1780 8. 20½ *Bogen, mit* 4 *Kupfertafeln.*

i. e.

Commentationes physico metallurgicae de montibus et metallifodinis Vngariae, Auctore I. I. FERBERO, Professore Mietauiensi. Accedit descriptio fusionis ferri et praeparationis chalybis in Stiria vsitatae, Auctore anonymo.

Quanquam negari omnino non potest, variorum illustrium naturae scrutatorum, velut MARSIGLII, BRÜCKMANNI, DELII, BORNII, SCOPOLI, SCHLÜTERI, aliorumque studio atque opera nobis cum soli Vngariae naturam, tum varias enchireses, quibus regionis huius incolae in effodiendis mineralibus corporibus, metallisque ex iis excoquendis vtuntur, redditas esse cognitas; attamen omnes hae relationes horum Auctorum absolutae, perfectaeque dici nondum possunt. Neque enim is fuit illorum scriptorum finis, vt naturalem montium Vngariae historiam, eamque absolutam, et omnia, quae spectant ad effodiendorum mineralium, metallorumque excoquendorum rationem, libris suis complecterentur, quippe potius peculiaribus

ribus quibusdam laboribus metallicis illustrandis operam dare sibi proposuerant; hinc multa, quae obiter tantum attigerant, expolienda, multa, quae prorsus siluerant, addenda aliis reliquerunt. Iam itaque, cum ea nuper FERBERO, viro erudito et a nobis iam aliquoties laudato, data fuerit copia, vt, cum Vngariam peragraret, omne, quicquid dignum annotatu de metallorum fodiendorum, coquendorumque methodo inter Vngaros vsu recepta in metalliferis his terris occurrit, obseruare, illudque cum codicibus variis de eadem re manu scriptis, quos partim in Vngaria ipsa, partim in Saxonia et Suecia acceperat, comparare posset, hac opportunitate eo vsus est, vt aliorum de his rebus relationes perfectiores redderet. Atque hoc tam praeclare in libro, cuius inscriptionem dedimus, praestitit, vt non possimus non doctissimi viri operam laudare. Iam vero, cum sit ex brevi ipsius libri recensu luculentius appariturum, qua potissimum in re illustranda fuerit FERBERI industria versata, et quo modo aliorum relationes vel emendauerit, vel auxerit, age, quaedam exhibeamus specimina.

Egit autem Auctor in prima libri sui sectione de septem inferioris Vngariae vrbibus, quas metallifodinae claras reddiderunt, eo ordine, vt primum sua super *Schemnitium* atque *Cremnitium* obseruata cognita faceret; tum progreditur ad *Neosolium*, *Buggantium* et *Regiomontum*, tandemque *Düllniae* et *Libethenae* consideratione huic sectioni finem imponit. De superioris Vngariae vrbibus a metallifodinis cognominatis in altera sectione loquitur, atque adeo *Schmöllnitii*, *Stofs*, *Schwädler*, *Einsiedel*, *Göllnitii*, *Mezenseifen* et *Iossauiae*, *Topschauiae*, *Rosenauiae*, *Iglo* aut *Neudorfii*, *Ruuli Dominarum* siue *Nagybaniae*, *Feistebaniae*, *Mitzbaniae*, *Neostadii* siue *Felsöbaniae* et

iniicit mentionem, et, quid in quaque vrbe dignum repererit annotatu, cognitum reddit. Ceterum annexa est his tractationibus appendicula, in qua Auctor de Vngaricis quibusdam mineralibus, quorum in antecedentibus mentio fieri non potuit, disputat, et tandem sequitur minerae ferri fundendae, chalybisque praeparandi methodus in Stiria vsu recepta.

p. 4. Cremnitium inter eas Vngariae vrbes, quae a metallifodinis cognominantur, proprie princeps est, quod omnes metallorum fodiendorum, coquendorumque causa manu exaratae tabulae in hac vrbe asseruantur, omneque aurum et argentum in inferiori Vngaria effossum in ea cuditur; at Schemnitii maior est cum fodinarum, tum eorum, quorum solertia luce procul venas rimatur, numerus, ipsaque haec vrbs illa est antiquior; nam Schemnitium anno post CHRISTVM natum septingentesimo quadragesimo quinto, Cremnitium vero septingentesimo septuagesimo conditum esse dicitur. Ceterum Saxones haud dubie primi fuerunt, qui in Vngaria metalla effoderent.

Prima Schemnicensis metallifodina ea putatur, cui nomen est *der Glanzenberg;* nam hoc loco anno supra millesimum quadringentesimum quadragesimo tertio venae metallicae detectae esse dicuntur; anno vero seculi decimi sexti quadragesimo
p. 7. nono in cuniculo a castore cognominato (*Bibersstolln*) coeptum est laborare, haecque fodina (*Oberbieberstollner Handlung*) secundo decimi septimi seculi anno quavis hebdomade CCCXXXIII circiter centenarios metallicarum minerarum est largita. Maximam pecuniae, quae ex metallis redit, summam anno millesimo sexcentesimo et nonagesimo haec fodina obtulit, quippe quo Regia camera, quae centum viginti et tres eiusdem partes (*Kuxe*) possidet,

det, 132425 drachmas auri, et 2851815 ſemuncias argenti, illa autem membra, quibus quinque reliquae partes erant, (*die mindere Gewerkſchaft*), 40000 drachmas auri, et 80000 ſemuncias argenti obtinuit.

Illud lapidis genus, in quo proprie Schemnicenſes venae decurrunt, Saxum metalliferum BORNII *) eſt, ſuper quod nonnullis in locis alia lapidea corpora, v. c. lapis calcareus, in quo teſtacea petrefacta inſunt, ſchiſtus argillaceus, qui vel nigri eſt coloris, vel cum mica et terra martiali rubra miſtus, et lithanthracum ſtrata poſita ſunt. A meridie verſus ſeptentrionem tres principes, eaeque latis latae metallicae venae decurrunt, quarum praecipua Spitalenſis eſt, quae verſus ſeptentrionem metallis deſtituitur, verſus meridiem autem auro, argento et plumbo abundat. Lapidum genera, quae huic venae adiacent, ſunt ſinopis, cryſtalli quarzi, lapidis calcarei et ſelenitis, pſeudogalena nigra et flaua, pyrites, galena, cet. Lapides, aut potius terrae friabiles et nobilibus metallis abundantiores, v. c. illae ſpecies, quas metallorum foſſores *Gilbe*, *Mulm*, *Bräune*, *Schwärze*, cet. appellant, admodum profunde non deſcendunt. p. 10. p. 13. p. 14.

Secunda earum venarum, quas principes, FERDINANDO praeeunte, diximus, *der Bieberſtollnergang* appellatur, eiusque minerae cum ſpitalenſis venae mineris fere conueniunt; ipſi autem venae ſelenitis cryſtalli, ſpatum calcareum, illudque cum flauum, tum ad rubedinem vergens, quarzum, ſinopis, pſeudogalena, cet. adiacent. Tertia vena THERESIA cognominata eſt, eaque plumbo potiſſimum abundat; neque tamen putandum eſt, aliis p. 15. p. 16.

*) *Briefe über mineralogiſche Gegenſtände*, *Frankfurt und Leipzig* 1774. p. 182. vid. Comm. noſtr. Vol. XX. P. III. p. 498.

eam metallis, iisque nobilibus deſtitui, etenim, praeter alias, argenteas etiam mineras olim obtulit. Ceterum ex his venis maxima minerarum pars effoditur; reliquae enim, quae cum inter has ipſas venas, tum inter eas et fluuium Granum decurrunt, quanquam argenteis mineris vtplurimum refertae deprehenduntur, arctis tamen limitibus circumſcriptae ſunt.

p. 22. Mineras ipſas, quibus hae venae abundant, etiamſi accurate ſatis BORNIVS *) definiuit, in quibusdam tamen deſcribendis Noſter fuit hoc Auctore prolixior, ſimulque de argenti ad reliquas conſtituentes partes in nonnullis ratione retulit. Et vitreae quidem argenti minerae centum et decem libras, praeter quicquam auri, centum et ſexaginta ſemilibras argenti continent. Similis galenae argenti diuitis portio chemico artificio tractata mox CC, mox CCC ſemuncias argenti et quicquam auri largitur; galena autem maioribus cubis nitens (*grobwürflicher Bleyglanz*), eadem portione diſquiſita, octoginta et tres libras plumbi et vnciam argenti, et galena admodum compacta (*ſtahldichter Bleyglanz* quadraginta et quatuor libras plumbi et dimidiam drachmam argenti praebet. Ceterum nec ſpatum Schemnicenſibus venis immixtum, nec aliae illis adiacentes lapidum ſpecies, velut quarzum, cet. argento prorſus deſtitutae deprehenduntur; etenim, vt hoc vnum addamus, ex ſpati centum et decem libris vtplurimum 3–5 ſemunciae huius metalli excoqui poſſunt.

p. 44. Sinopis tres ſpecies in ea fodina, quae *der Pocherſtolln* dicitur, offenduntur, earumque prima dura eſt et iaſpidi ſimilis, ſecunda vero mollis deprehenditur, et fere bolarem terram, globulari figura vtplurimum conſpicuam, refert; vtraque haec

*) l. c. p. 214.

haec ſpecies auri et argenti quicquam continet, tertia autem, quae iaſpis ruber et perdurus eſt, omni metallo deſtituta reperitur. Halotrichum, SCOPOLIO Auctore, mixtum ex acido vitriolico, terra aluminis, ferrique et calcareae terrae pauxillo corpus eſt, quod, ſi libero aëri, aut calori fuerit expoſitum, nitorem ſuum amittit, et in puluerem cretae ſimilem dilabitur. Pyrites mox cubica, mox globulari, mox pyramidali, cet. figura ſunt conſpicui; illi, qui globulos referunt, partim admodum ſunt exigui, cryſtallisque variis velut guttae innati, partim ad nucum iuglandium magnitudinem accedunt. Antimonium, idque ſub ſtellarum forma quarzo, aut ſpato inſtratum, Schemnitii fere nullibi, niſi ex ea fodina, quae *der Heilige drey Könige Stolln* appellatur, effoditur. In CHRISTINAE puteo nonnunquam cryſtalli quarzi deprehenduntur, quae mineram argenti vitream incluſam tenent; neque adeo rarum eſt, huiusmodi cryſtallos in hoc ipſo puteo reperiri, quibus intus cauum, illudque aëris, aut aquae plenum, inſit. In puteo, *Windiſch-Leithen* dicto variae argenti, plumbi, ferri, cupri, cet. minerae occurrunt, quae non modo ab externo habitu magnam habent commendationem, verum etiam auro et argento admodum divites ſunt; etenim, vt nihil de cupri mineris viridi et coeruleo colore conſpicuis moneamus, decagonas et granatiformes ferri cryſtallos Noſter vidit, quarum, vt ipſi referebatur, centum et decem librae quinquaginta vncias argenti continent. Albae et virides plumbi minerae pariter admodum ſunt elegantes.

p. 45.

p. 53.

p. 56.

Minerae ab immixtis iis foſſilibus, quibus nihil metallici, quod excoqui mereatur, ineſt, ſtudioſe ſeparatae igni in officinis metallis excoquendis deſignatis exponuntur. Magna autem obtinet

cum inter modos, quibus ad excoctionem apte redduntur minerae, tum inter ipsas excoquendi rationes diversitas; etenim mox lauatione, tritu- tione, cet. opus est, mox nulla indigent minerae praeparatione; mox salinis, aliisque corporibus fusio earundem promouenda, mox nullum alienum corpus ipsis est admiscendum, cum valde prona ad fusionem deprehendantur. At vero in variis his enchiresibus describendis etsi olim DELII *), PODAE **), SCOPOLI ***), aliorumque industria fuit versata; varia tamen, eaque scitu dignissima FERBERVS reperit, quae relationibus illorum adderet; cum autem haec ipsa annotata ita comparata sint, vt in epitomen redigi omnino ne queant, nos silentio ea praeterire cogimur; fatemur tamen ingenue, nobis cuncta, quae de laboribus hisce FERBERVS retulit, prout etiam ea, quae ad fodinarum praefectos, fossorum numerum, cet. spectant, egregie placuisse.

p. 107. Cremnicenses metallicae venae quo tempore detectae sint, definiri accurate nequit; nam sunt, qui iam a Romanis, ante CHRISTVM natum, ex terrae huius visceribus metalla fuisse effossa contendant; sunt, qui recentiorem harum fodinarum ortum putent. Id exploratum est, vrbis ipsius vetustatem, aliaque a fodinarum nonnullarum interno habitu petita argumenta vero admodum similem reddere eam opinionem, qua ante mille ad minimum annos mineris effodiendis hic loci iam fuisse operam data tam statuitur.

p. 112. Montium, ex quibus minerae effodiuntur, interiora ex eadem argillaceo lapidea materie, in qua

*) *Anleitung zur Bergbaukunst*, *Wien* 1773. 4.
**) *Beschreibung der Maschinen*, cet.
***) *Einleitung zur Kenntniß und zum Gebrauch der Fossilien.*

qua Schemnicenſes venae decurrunt, conſtant, eaque inter vtramque vrbem continuo fere tractu, ita tamen, vt verſus Cremnitium ſenſim adſcendat, progreditur. Praecipua metallica vena ſub humo admodum lata eſt, quo magis vero deſcendit, hoc arctioribus limitibus circumſcripta deprehenditur. Inter foſſilia, quae metallis adiacent, quarzum admodum compactum, durum, lactisque colore conſpicuum, commemorari potiſſimum meretur.

Minerarum, earumque auro et argento admodum divitum, velut auri nativi, et minerae argenti vitreae, magnam copiam venae, quae a praecipua diſcedunt, foſſoribus quondam obtulerunt, illae vero nunc inter rariores pertinent. Rubra argenti minera praecipue in puteo, a ſancta ANNA cognominato, et in fodina vrbis, (*Stadthandlung*) offenditur. Antimonium ex regis puteo (*Königsſchacht*), eaque fodina, quae *die rothiſche Handlung* dicitur, effoditur. Ferunt etiam, rubrum antimonium ex eodem Regis puteo olim fuiſſe effoſſum, valde autem de hac re Noſter dubitat, quod nullibi huiusmodi mineram ipſi videre contigit. Ceterum in hac ſectione Auctor modum, rationemque deſcribit, qua mineras ad fuſionem aptas reddunt Cremnicenſes, ſimulque de metallorum excoquendorum methodo, cet. loquitur, ſuumque ſermonem idoneis figuris illuſtrat. p. 122.

Neoſolium, quod Germanicis et Saxonicis potiſſimum metallorum foſſoribus ortum ſuum debet, a cupri venis, quae ſexto circiter poſt milleſimum anno detectae ſunt, clarum redditum eſt. Montes, in vicinia huius vrbis et Taiouae ſiti, calcarei ſunt, iique, obſeruatione teſte, eidem argillaceo foſſili, cuius ſupra meminimus, innituntur. Ceterum hoc ipſum foſſile inter Schemnitium et Neoſolium pariter montes, inter calcareos poſitos, eosque format. p. 152.

p. 157. Inter praecipuas Neoſolienſes venas 1) *der Kugler*-vel *Guklergang*, 2) *der Herrengrundergang*, et 3) *der Pfeifenſtollnergang* referuntur, (ea vena, quae *der Ratzengrunderhauptgang* dicitur, praecipuis pariter annumerari poſſet, ſed ad Herrengrundenſes fodinas haec proprie non pertinet,) iisque ſchiſtus argillaceus griſeus, quarzum compactum et granulatum, gypſum, minera ferri ſpatiformis, halotrichum, vitriolum ferri, cupri et zinci, cet. adiacent.

p. 159. Cupri minerae, quae ex his venis effodiuntur, ab Vngaris *Gilferz*, quae eſt minera cupri flaua ſ. pyrites cupri, *ſchwarz Kupfererz*, i. e. minera cupri griſea cet. nominantur, eaeque exiguam tantum auri et argenti copiam immixtam habent. Malachites et coeruleae cupri minerae interdum etiam offenduntur.

p. 226. Magurkae in vicinia Neoſolii ſitae antimonium auriferum quarzo innatum, et nonnunquam aurum natiuum antimonio inſertum effoditur. Altſolii in foſſa quadam ſelenitis magna fruſta inueniuntur, quorum nonnulla aſbeſtum incluſum tenent, et Rhimazombati, Schemnitium inter et Neoſolium ſiti, aurum natiuum molybdaenae innatum detectum

p. 228. eſt. Ex MOLLERI, Neoſolienſis Doctoris, *de ſtatu aurifodinarum, quae ab vrbibus Botzau et Deutſchliptſch cognominantur, relationibus*, quas FERBERVS huic ſectioni adiunxit, patet, omnibus in vicinia harum urbium decurrentibus venis eadem foſſilia, ſcilicet quarzum album, cui antimonium atque pyrites inſerta ſunt, adiacere, ipſum autem aurum haud mineraliſatum, ſed natiuum occurrere, venasque eiusdem inconſtantes eſſe, cet. Excoquendi auri ratio, qua harum vrbium incolae vtuntur, ab ea, quae Cremnicenſibus ſolemnis eſt, non differt.

p. 247. Buggancenſe ſolum argillaceum eſt, eiusque venae, inter quas potiſſimum illae, quae verſus Orientem excurrunt, martis, aurique diues quarzum

zum continent, multum olim auri atque argenti fossoribus obtulerunt, et in variis regiomontanis p. 248.
fodinis eorundem metallorum obtinendorum causa versus finem decimi quinti, et initio decimi sexti seculi laboratum est; at cum diluuia, tum aliae res prohibuerunt, quo minus venas fossores persequerentur; qua de re Regiomonti metallicos labores in quatuor tantum fodinis peragi, ex iisque potissimum pyriten auro refertum, immo nonnunquam natiui auri quicquam obtineri, FERBERVS animadvertit. Ex metallis, quae Düllniae et Libetenae effodiuntur, multum haud redit; etenim neque nobilibus, neque ignobilibus metallis valde minerae abundant.

Schmöllnitii, Göllnitii, Neudorfii, cet. quae ef- p. 254.
fodiuntur minerae, cupro inprimis abundant, Iossavia autem propter ferrum celebre est. Felsöbanienses venae aurum, argentum et plumbum, et Capnicenses, praeter eadem metalla, etiam cuprum, arsenicum et antimonium largiuntur. Ceterum in p. 269.
variis Vngariae regionibus petrefacta corpora, sal alcali minerale natiuum, asbestus, iaspides coloribus variis conspicui, agates sic dictus Islandicus, aliaque fossilia, inueniuntur, quae Noster breuiter recenset, eorumque natalia loca commemorat.

Descriptio fusionis ferri et praeparationis cha- p. 273.
lybis, quam Cl. Auctor sub finem libri addidit, in epitomen redigi vix potest, quod ipsa compendii nomen mereatur; quare hoc vnum addimus, eam nobis exactam, accuratamque visam esse.

XX.

IGNATII A BORN, Equ. Academiae Imp. Naturae Curioſorum, Petropolit. Londinenſ. Holmenſ. Göttingenſ. Vpſalienſis, Londin. Gothorum, Monacenſis, Burghauſ. Patauinae, nec non Phyſicorum Berolinenſium Sodalis, Index rerum naturalium muſei Caeſarei Vindobonenſis, Pars I, Teſtacea. Vindobonae, ex officina Krauſiana, 1778. alph. 1. plagg. 11. 8. tab. aen. 1. *Verzeichniß der natürlichen Seltenheiten des Kaiſerl. Königl. Naturalien Kabinets. Erſter Theil, Schaalthiere.*

Prodromi de maiore opere, cuius rationem infra*) dabimus, inſtar, ſeu ideo, quod illud maioris pretii eſt, quam vt a quolibet hiſtoriae naturalis ſtudioſo comparari poſſit, hunc indicem facile cuivis parabilem conſcripſit Cl. Auctor. Ex hoc enim ii, quibus muſeum Caeſareum videndi eſt facultas, intelligere poſſunt prius, quam videant, quidquid eodem contineatur, atque alii, qui alibi degunt, ex lectione eiusdem erudiri poterunt.

Recte enim Cl. Auctor affirmat, muſea rerum naturalium, quae curioſorum conſpectui patent, eatenus aliena fore a propoſito, donec res naturales iis contentae accurate deſcribantur, atque ea ratione ad notitiam manusque omnium, qui iisdem vti volunt, perveniant. Sic enim, perlecto indice, curioſi ea corpora, quae iis notatu digniſſima ſunt, deligere, et videnda cupere poſſunt: cum alias plerumque omnia, quae in muſeo continentur, velo-

*) vid. p. 510.

velocibus et quaſi fugientibus oculis ob temporis, quod ei exhibendo definitum eſt, anguſtias percurrere ſoleant.

Huic indici inſerta ſunt omnia, quae re ipſa in muſeo Caeſareo reperiuntur, atque in prima hac parte quidem *Conchylia*, quae Cl. Auctor ad LINNAEI ſyſtema ideo diſpoſuit, quod illud omnium, quae adhuc extant, ſit abſolutiſſimum; atque recte exiſtimat Noſter, fore vt idem tam diu praeſtantiam ſuam tueatur, donec naturae ſcrutatores, ADANSONII, BASTERI, O. F. MÜLLERI aliorumque exempla ſecuti, accuratam deſcriptionem formae, partium, genii, viuendique rationis, quae vnicuique teſtaceorum animalium propria ſunt, praebeant: ut tandem genuinum Conchyliorum ſyſtema naturale, aut ſaltem ad naturam proxime accedens conſtitui poſſit.

Interim tamen Cl. Auctor generum ac ſpecierum definitiones, a LINNEO propoſitas interdum diſtinctius propoſuit et emendauit, ſingulasque concharum partes decentioribus nominibus inſigniuit, figuras a LINNEO commemoratas rectius indicauit, dubias omiſit, easque ex recentioribus Conchyliologis ſuppleuit. Eas Conchyliorum ſpecies, quas LINNEI ſyſtema non complectitur, methodo Linneana deſcripſit, familiisque ſuis inſeruit, notas omnes characteresque fuſius declarauit, et ad accuratas earundem effigies, quae in maiori opere comparuerint, prouocauit. Quarum quidem ſpecierum nomina et definitiones nos in recenſione illius etiam indicabimus.

Singulorum teſtaceorum nomina triuialia, quibus Gallica, Anglica et Belgica lingua compellantur, ex optimis harum nationum ſcriptis adiecta ſunt. Ceterum ipſe liber Latina et Teutonica lingua ſcriptus, et omni diligentia et cura Cl. Auctoris, ac typo-

typographica elegantia ornatus eſt. In tabula aenea nouum teſtaceorum genus delineatum et pictum eſt, quod *Cornu* a Cl. Auctore dictum est, hoc charactere: Teſta elongato conica volutata, anfractus cylindrici diſtantes, apertura elabiata, imperforata. Species cognita dicitur *Cornu Copiae*, teſta conico turrita, anfractibus duobus, apertura orbiculata. Nobis hoc teſtaceum commode ad *Serpulas* reduci poſſe videtur.

XXI.

Teſtacea muſei Caeſarei Vindobonenſis, quae iuſſu MARIAE THERESIAE Auguſtae diſpoſuit et deſcripſit IGNATIVS A BORN, Eques cet. Vindobonae, ſumtibus Ioannis Pauli Krauſe, 1780. 5 alph. fol. mai. tabb. aen. viv. coloribus pictae 18.

Splendidi et Caeſarea munificentia ſuſcepti operis, ſummaque cura diligenter, ſolide et praeciſe conſcripti a Cl. Auctore, et cui ornando neque artifices curae et diligentiae, neque ſumtibus bibliopola pepercerunt, breuem ſaltem notionem Lectoribus faciamus, cum his et ſimilibus libris recte intelligendis iconum illuſtratione omnino opus ſit. Itaque ingenue fatendum eſt, icones, quas vidimus, omnes fere conchyliorum imagines antecellere: ſunt enim ita naturae aemulae, vt certent nimio et corruſco illo ſplendore, qui in Regenfuſiano opere, ceteroquin elegantiſſimo, cernitur; maiorique cura ſint ſculptae et coloratae, quam eae, quas in Martiniano opere inuenias. In praefamine praemiſſo conchyliologiae iuſtum pretium adſignat Cl. Auctor. Neque eam ex utiliſſimis ſcientiae naturalis partibus eſſe, neque eam omni in re publica literaria commodo carere. Solam methodum,

thodum, qua hactenus pleriſque oſtracodermatum et petrificatorum deſcriptores vſi ſunt, et neglectam harum ſcientiarum ad verum emolumentum deſtinationem vituperat. Nexus arctior, qui eſt inter Conchiliologiam et Lithologiam indicandus, et vtriusque ad geographiam phyſicam applicatio quaerenda eſt. Non itaque noua temere ſunt fingenda ſyſtemata; ſed iuxta celebrius quoddam ſyſtema corpora ſunt deſcribenda: atque eadem ratione etiam in Lithologia teſtacea petrificata, mutilis reiectis, cum genuinis ſunt comparanda, atque ea, quorum prototypi nondum ſunt detecti, peculiari induſtria deſcribendi. Cui quidem ſententiae et conſilio Cl. Auctoris nos omnino adſentimur, atque ideo etiam Noſter in hac conchyliorum enarratione LINNEI ſyſtema ſecutus eſt: quod quidem vt magis illuſtraret, cuiuslibet generis et familiarum characteres aeri inſculpendos curavit; vermium deinde, teſtacea incolentium, hiſtoriam ex probatis ſcriptoribus adiunxit; ſpeciebus nomina Linneana, ac praeterea triuialia diuerſis linguis addidit; notiora de re concharia ſcripta, vbi effigies deſcripti conchylii genuinae extant, indicauit; quorum vera nullam recte deſignatam iconem reperit, eiusdem nouam effigiem, atque, vt diximus, maxime fidam curauit; notabiliores etiam partes ſingulorum, et vniuscuiusque ſpeciei dimenſionem, ex elegantioribus teſtis deſumtam, ac patriam oſtendit.

Initium ſplendidi huius muſei Caeſarei, quod ex teſtaceis, zoophytis, cruſtaceis, et petrefactis ac foſſilibus, tum lapideis, tum mineralibus, conſtat, factum eſt Florentiae a Perill. Equite IO. A BAILLOU, a quo ad FRANCISCVM Auguſtum emtione peruenit, qui illud maxime adauxit. Poſt huius obitum MARIA THERESIA theſaurum hunc publicis

cis vſibus ac hiſtoriae naturalis ſtudioſis patere atque a Perill. Auctore deſcribi iuſſit.

p. XVII. Praefamini ſubmiſit Cl. Auctor *Terminologiam* conchyliographiae, e fundamentis teſtaceologiae Cl. ADOLPHI MURRAY mutuatam; mutatis concharum terminis nonnullis, tum ſequitur Auctorum catalogus, quorum ſcripta a Cl. Auctore nominantur; denique explicatio tabularum et iconum minorum.

Cuilibet deinde generi ſuccincta et diſtincta characterum genericorum deſcriptio, et eorum, quae de animale inhabitante innotuerunt, hiſtoria praemittuntur: quae quidem lectu digniſſima et ex inſtituti ratione recte omnino commemorata ſunt ab Auctore. Nos quarundam Auctoris obſerua-

p. 130. tionum mentionem iniiciamus. Sic confirmat tentaculis pinnas ſcopulis adtexi; neque conſentit cum CHEMNITIO *), qui hanc ſententiam, vt et notam *cancri pinnoteris* cohabitationem explodere anniſus eſt. Nec tamen, quantum nobis videtur, id probauit Cl. Auctor, Auctores, quorum auctoritati fidem habet, litem et cuſtodiam celebrata ipſos vidiſſe, quod potiſſimum Cl. CHEMNIZIVS vrget.

p. 138. Vero haud eſſe ſimile ait, quod quidam innuant, Argonautam libere teſtae ſuae inſidere, imminente autem periculo oſſeam cutem exuere, et in abyſſum deſcendere. Praeterea enim, quod teſta, nonniſi ab animali eidem affixo, incrementum capere poſſit, expertus etiam eſt RVMPHIVS extractam e teſta hanc ſepiae ſpeciem per paucum temporis ſpatium vivere. Videtur igitur Perill. Auctori Argonauta tenui tendine, qui facillime rumpatur, domunculae ſuae adhaerere.

*) *Naturforſcher Xxes Stück* 1 *Seite.*

Ex O. F. MÜLLERI *) obſervatis patet, *Trochos* LIN. a molluſco Turbinum ADANSONII, et *Turbines* LIN. a molluſco Trochi EIVSD. inhabitari. Difficillimum eſt in methodo artificiali, quae teſtacea ſecundum animalium dermata diſponit cuivis generi proprium aſſignare animal, cum ſaepiſſime natura methodo noſtrae repugnet, et genus propemodum quodvis artificiale molluſca diuerſa complectatur, quae ſyſtema naturale, quamuis teſtae ſtructura renitatur, coniungeret. p. 340.

Nouum genus, Cornu dictum, in indice iam ſtabilitum **) hic repetitur. p. 361.

Agmen conchyliorum claudit *Serpula*, ex mente Perill. Auctoris. Vermium enim tubulicolarum *Teredinis* et *Sabellae* genera, a LINNEO vniualuium ordini inſerta, inter teſtacea locum non mereri aſſerit, cum ambo teſta calcarea deſtituantur. Interim tamen Teredinis teſtam calcaream omnino ſatis duram vidimus, ipſeque Cl. O. F. MÜLLER eum ad Pholades adiunxit, vt itaque quoad Teredines cum Cl. Auctore conſentire nequeamus. p. 433.

Satis magnus ceterum eſt numerus ſpecierum, in muſeo detentarum, quibus interſunt rariores plurimae. Nos adiiciamus nomina depictorum conchyliorum.

Tab. I. f. 1. 2. *Chiton ſquamoſus.*
— 3. *Chiton cinereus*, inſidens fragmento Oſtreae edulis.
— 4. *Lepas Balanus*, inſidens *Murici deſpecto.*
— 5. 6. *L. diadema*, idem, qui a WALCHIO *Balanus polythalamius* dicitur.
— 7. *Pholas dactylus.*

Tab.

*) vid. Zool. Dan. prodr. p. XXX. Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 302.

**) vid. ſupra p. 508.

Tab. I. f. 8. *Mya Glycimeris.*

Tab. II. f. 1. 2. *Solen Legumen.*

— f. 3. 4. *Tellina rugoſa.* f. 5. *angulata.*

— 6. 7. — *Gari.* 8. *punicea.*

— 9. — *planata.* 10. *roſtrata.*

— 11. — *incarnata.* 12. *Remies* a Perill. Auctore habetur: non conuenit tamen cum deſcriptione Linneana, neque cum iconibus citatis.

— 13. — *carnaria.* 14. *balthica.*

— 15. 16. *Cardium Cardiſſa*, α. f. 17. 18. var. β.

Tab. III. f. 1. 2. *Cardium retuſum*, f. 3. 4. *imbricatum.*

— 5. — *magnum.* 6. *leucoſtomum.*

— 7. — *flauum.* 8. *latum.*

p. 49. — 9. — *pectiniforme*, teſta rodundata, complanata, coſtis triangulis, lateralibus, muricatis.

p. 51. — 10. 11. *Mactra glauca*, teſta ſubouata, vmbonata, apicibus laeuiſſimis, lateribus vndique ſtriatis.

Tab. IV. f. 1. *Donax ſcortum.*

p. 53. — 2. — *pubeſcens*, teſta cordato triangulari, decuſſatim ſtriata, area explanata, vtrinque carinata, ſpinis canaliculatis armata.

— 3. 4. — *trunculus.* f. 5. 6. *Venus mariæ.*

— 7. *Venus verrucoſa.* — 8. — *circinata.*

— 9. — *cancellata.* 10. *V. flexuoſa.*

— 11. — *bucardium.* 12. *V. paradoxa*, teſta triangula ſolida, vtrinque complanata labris prominentibus.

Tab. V. f. 1. *Venus callipyga*, teſta ouata latiuſcula, transverſim inaequaliter ſtriata, lineis pictis angulatis, areola ouali.

— 2. 3. *V. deflorata.* f. 4. *fimbriata.*

— 5. *V. concentrica*, teſta orbiculata laeui, ſulcis transuerſis concentricis, areola impreſſa cordata.

— 6. *V. proſtrata*, teſta orbiculata transuerſim ſtriata, antice membranaceo ſcabra, areola ouata impreſſa.

Tab.

Tab. V. f. 7. *Venus riuularis*, testa orbiculata transuersim striata, valvis complanatis rugosis, areola plana.

— 8. *V. Pensylvanica.* f. 9. *V. exoleta.*

— f. 10. 11. *Chama calyculata.*

— f. 12. 13. 14. *Chama Lazarus.*

Tab. VI. f. 1. *Arca scripta*, testa orbiculari conuexa laeui, lineis angulatis fuluis picta, apicibus incuruis, limbo crenato. p. 93.

— 2. *Ostrea elongata*, testa ouato elongata, longitudinaliter striata, radiis octo transuersim rugosis, auricula altera minima. p. 103.

— 3. *O. sulcata*, testa aequiualui rotundata, longitudinaliter striata, radiis duodecim, auriculis subaequalibus.

— 4. *O. solaris*, testa rotundata, glabra, radiis viginti conuexis, sulcis longitudinaliter striatis. p. 106.

— 5. 6. *O. pyxidata*, testa inaequiualui, valua altera plana, radiis 32 conuexis laeuibus. p. 108.

— 7. *O. fasciata.*

— 8. *O. bullata*, testa ouata aequiualui vmbonata, sulcis longitudinalibus 32, cardine transuerso, auriculis aequalibus. p. 110.

— 9. 10. *O. denticulata*, testa rotundata foliacea, valua altera plana parasitica, cardine vtrinque denticulato. p. 113.

— 11. 12. *O. cucullata*, testa inaequiualui, plicato rugosa, margine dentato, intus striato, valua maiore cucullata. p. 114.

— 13. *Anomia truncata.* 14. *A. caput serpentis.*

Tab. VII. f. 1. *Ostrea miniata*, testa inaequiualui multistriata scabra, auriculis subaequalibus. p. 104.

— 2. *O. nucleus*, testa aequiualui, radiis 20 conuexis glabris, valua vtraque conuexa. p. 107.

— 3. *O. cristata*, testa rotundata, lamellis imbricatis, margine obtuse plicato, dentato, apice altero porrecto. p. 112.

Tab. VII. f. 4. *Mytilus lithophagus.* f. 5. *M. rugosus.*

p. 127. — 6. 7. *M. pictus*, α. β. testa ouata trilatera, laeui, antice carinata, apicibus acuminatis, bidentatis dentibus extus conspicuis.

p. 134. — 8. *Pinna vexillum*, testa fastigiato triangula, laeui, margine postico excurrente lobiformi.

p. 150. — 9. *Conus candidus*, testa conica, glabra alba, spirae anfractibus coronatis, apice centrali amethystino.

p. 153. — 10. *C. centurio*, testa conica, anfractibus canaliculatis, basi attenuata, transuersim sulcata.

— 11. *C. ammiralis.* f. 12. *C. stercus muscarum.*

p. 164. — 13. *C. planorbis*, testa conica ventricosa, basi transuersim striato punctata, spira plana, canaliculata.

p. 167. — 14. *C. pennaceus*, testa conica cinnamomea, lineis punctatis transuersis et maculis pennatis dispersis pallidis picta.

p. 175. Tab. VIII. f. 1. *Cyprea stercoraria.* f. 2. *C. carneola.*

— 3. *C. Zebra.* — 4. 5. *C. lota.*

— 6. *C. fragilis.* f. 7. *C. Tigris*, var. β.

— 8. 9. *C. Lynx.* — 10. *C. cylindrica* testa obtusa, cylindrica, vertice complanato, extremitatibus fusco maculatis.

— 11. *C. Hirundo.* f. 12. *C. Dracaena*, testa derosa marginata, lateribus albis fusco maculatis, dorso luteo nebulosa, macula media testacea.

— 13. *C. erosa.* f. 14. *C. spurca.* f. 15. *C. stolida.*

— *C. poraria.* f. 17. *C. staphylaea.* 18. *C. nucleus.*

— 19. *C. citercula.* — 20. *C. Globulus.*

p. 204. Tab. IX. f. 1. *Bulla Ampullare.* f. 2. *B. Cypraea.*

p. 212. — 3. 4. *Voluta auris Sileni*, testa ouali gibba, umbilicata, columellae plica vnica crassa flexuosa.

p. 220. — 5. 6. *V. marginata*, testa ouata, spira obsoleta, lateribus incrassato marginatis, columella quadriplicata.

Tab.

Tab. IX. 7. 8. *V. cancellata.* f. 9. 10. *Voluta filoſa*, p. 225.
teſta fuſiformi, tenuiſſime reticulato ſtriata, cingulis eleuatis, transuerſis, columella quadriplicata, labro crenulato.
— 11. 12. *V. pertuſa.*
— 13. *Buccinum mutabile*, teſta ouata oblonga, p. 252.
ſpira acuminata, labio explanato.
— 14. 15. *B. vndatum.* v. β. ſiniſtris anfractibus.
— 16. *B. reticulatum.* f. 17. 18. *B. clathratum.*
— 19. 20. *Murex Mancinella.*
Tab. X. f. 1. 2. *Bulla achatina*, var. β. 8.
— f. 3. 4. *Bucc. neriteum.* f. 5. 6. *Bucc. ſulcatum*, teſta ouata, transuerſim ſulcata, anfractibus contiguis, labro crenulato, intus ſtriato. p. 258.
— 7. *B. ferrugineum*, teſta turrita, ſubulata, ferruginea, anfractibus laeuibus integerrimis bipartitis. p. 263.
— 8. *B. candidum*, teſta turrita ſubulata laeui, anfractibus integerrimis, prope ſuturam incraſſatis.
— 9. *Bucc. ſubulatum.* f. 10. *B. ſtrigilatum.*
— 11. 12. *B. cinereum*, anfractibus indiuiſis, prope ſuturam longitudinaliter ſtriatis. p. 267.
— 13. *B. pertuſum*, teſta ſubulata, anfractibus bipartitis, ſtriis longitudinalibus eleuatis, transverſis excauato punctatis.
— 14. 15. *Strombus accinctus.* f. 16. 17. *St. tuberculatus.* p. 283.
— 18. 19. *Murex tripterus*, teſta elongata triangulari, angulis alato membranaceis. p. 291.
Tab. XI. f. 1. 2. *Murex triqueter*, teſta elongata, triquetra ſubulata, reticulatim coſtata, roſtro recto clauſo.
— 3. 4. *M. erinaceus.* f. 5. *M. reticularis.*
— 6. 7. *M. rugoſus*, teſta ouata, longitudinaliter rugoſa, ſtriis carinisque transuerſis nodoſis, roſtro breui vmbilicato. p. 315.

p. 317. Tab. XI. f. 8. 9. *M. perverſus*, f. 10. 11. *M. vulpinus*, teſta oblonga, ventricoſa, glabra, baſi anfractuumque marginibus ſtriatis, roſtro brevi torto.

— 12. 13. *M. gibboſus*, teſta turrita, anfractibus marginatis, ventre gibbo, labro fiſſo denticulato, roſtro brevi.

— 14. 15. *M. litteratus*, teſta turrita ventricoſa, nigro maculata, columella vniplicata, roſtro brevi.

— 16. *M. Radula.* f. 17. 18. *M. atratus*, teſta turrita, atra, anfractibus transuerſim ſtriatis tuberculatis, columella vniplicata, roſtro recto.

— 19. 20. *M. cinerarius.*

p. 331. Tab. XII. f. 1. 2. *Trochus vmbilicaris.*

— 3. 4. *Tr. faſciatus*, teſta conica, laeui, anfractibus rotundatis, ſupra compreſſis, vmbilico profundo, labro crenulato.

— 5. 6. *Tr. teſſellatus*, teſta conica, laeui, anfractibus rotundatis, transuerſim ſtriatis, columella obſolete perforata.

p. 335. — 7. 8. *Tr. Labio.* f. 9. 10. *Tr. granulatus*, teſta imperforata, conica, ſtriis tenuiſſimis et granulatis, alternatim maioribus futuris marginatis.

— 11. 12. *Tr. crocatus*, teſta imperforata conica, laeui, ſutura ſulcata, anfractibus conuexis, ſupra ſpinoſis.

p. 341. — 13. 14. *Turbo littoreus.* f. 15. 16. *Turbo muricatus.*

— 17. 18. *Turbo pullus.* f. 19. 20. Cl. Auctori *Turbo tectum perſicum* LINN. videtur: at deſcriptio et forma plane repugnant; ſiſtiturque hac icone potius Trochus pyramidalis albus ſtriatus, muricatus LISTERI hiſt. conchyl. t. 628. f. 14. vid. CHEMNIZII *Konchylienkabinet* Vol. V. p. 31.

p. 333. — 21. 22. *Trochus conchyliophorus*, teſta imperforata conuexo conica, anfractibus plicato rugoſis,

gosis, basi concaua, apertura sulcata. Est *Turbo trochiformis* indicis mus.

Tab. XII. f. 23. 24. *Turbo helicinus*, testa rotundata glabra, anfractibus conuexis, columella incrassata, subimperforata. p. 348.

— 25. 26. *T. cinereus*, testa rotundata laeui, anfractibus conuexis, columellae basi elongata, fauce sulcata, vmbilico lato.

Tab. XIII. f. 1. 2. *Turbo noduloſus*, testa conico rotundata, anfractibus noduloso striatis, denticulo vmbilicali.

— f. 3. 4. *T. carinatus*, testa rotundata, anfractibus carinatis, vmbilico spirali profundo.

— 5. 6. *T. Lincina.* f. 7. *T. exoletus.*

— 8. *T. torcularis*, testa turrita, anfractibus transuersim striatis, carinis duabus obtusis submarginalibus. p. 358.

— 9. *T. quinquedentatus*, testa turrita subpellucida, labio tridentato, labro biplicato.

— 10. 11. *Cornu copiae*, vid. Ind. mus. supra p. 510.

— 12. 13. *Helix obuerſa*, testa inperforata, turbinata, anfractibus supra planis, marginato carinatis, columella inperforata. p. 368.

— 14. 15. *H. citrina.* 16. 17. *H. paradoxa*, testa subinperforata rotundata solida, apertura subrotundata, labio incrassato.

— 18. 19. *H. solida*, testa ouato oblonga, inperforata, solida, glabra, anfractibus conuexis, columella incrassata.

— 20. 21. *Nerita glaucina.* var. *nigra.*

Tab. XIV. f. 1. 2. *Helix Lapicida.* f. 3. 4. *H. algira.* p. 365.

— 5. 6. *H. planorbis.* f. 7. 8. *H. marginata.*

— 9. 10. *H. tornata.* 11. 12. *H. ringens.*

— 13. 14. *H. sinuata.* 15. 16. *H. maculoſa*, testa perforata, subcarinata depressa, oblique striata, subtus conuexa.

Tab. XIV. f. 17. 18. *H. punctata*, teſta ſubcarinata, rotundata ſubperforata, labio incraſſato, ſinuato, labro tridentato.

— 19. 20. *H. polygyrata*, teſta orbiculata, ſupra plana, ſubtus concaua, anfractibus teretibus decem.

— 21. 22. *H. pomaria*. f. 23. 24. *H. volvulus*.

Tab. XV. f. 1 – 10. *Helicis citrinae* varietates.

— 11. 12. *Helix vngula*. f. 13. 14. *H. mammillaris*.

p. 383. — 15. 16. *H. vitrea*, teſta ſubinperforata, ouata, ventricoſa, laeui, ſubpellucida, ſpirae anfractibus carinatis.

— 17. 18. *H. picta*, teſta inperforata, ſubgloboſa, obtuſa, laeui, columellae anfractuumque marginibus coloratis.

— 19. 20. *H. aperta*, teſta inperforata, ſubgloboſa, ſpira obtuſa, minima, columella ſpirali aperta.

— 21. 22. *H. oblonga*.

p. 384. Tab. XVI. f. 1. 2. *Helix cretacea*. f. 3 – 8. *H. nemoralis* varietates.

— 9. 10. *H. verſicolor*, teſta inperforata, ſubgloboſa, niuea, columella roſea, lineis transuerſis faſciisque intermediis diſcoloribus.

— 11. 12. *H. Pileus*. f. 13. *H. calcarea*, teſta turrita, longitudinaliter ſtriata alba, anfractibus decem, apertura ouata.

— f. 14. *H. plicaria*, teſta turrita ſubulata, anfractibus plicis longitudinalibus coronatis.

— f. 15. *H. maculata*, teſta turrita, ſubulata laeui, picta vndis longitudinalibus rufis.

— 16. *H. ſtagnalis*. f. 17. *H. fuſcata*, teſta ſubulata, laeui, anfractibus teretibus.

— 18. 19. *H. hortenſis*.

Tab. XVII. f. 1. 2. *Nerita canraena*. f. 3. 4. *Nerita rufa*.

Tab.

Tab. XVII. f. 6. *Nerita ſulcata*, teſta ſubgloboſa, ſulcis longitudinalibus obliquatis, vmbilico bifido.
— 7. 8. *Nerita Radula*. 9. 10. *Nerita pulligera*.
— 11. 12. *Nerita pennata*, teſta rotundata laeui, labio plano crenulato. p. 404.
— 13. 14. *Nerita polita*, var. f. 15. 16. *var.* L.
— 17. 18. *Nerita plicata*. f. 19. 20. *Nerita groſſa*.
Tab. XVIII. f. 1. *Patella plicata*, teſta angulata, coſtis obtuſis vnduloſis, transuerſim rugoſis. p. 417.
— f. 2. *Patella coerulea*. f. 3. *P. cochlear*, teſta pyramidata, ſubangulata, margine explanato inaequali.
— f. 4. 5. *Patella pentagona*. f. 6. *P. tricarinata*.
— f. 7. *P. pectinata*. f. 8. *P. lutea*.
— 9. 10. *Patella pellucida*, integerrima, ouato ſtriata, vertice, radiisque fuſcis.
— f. 11. *Patella ruſtica*. f. 12. *P. fiſſura*.
— f. 13. *Dentalium entalis*. f. 14. *Serpula tri-quetra*. p. 436.
— f. 15. 16. *Serpula muricata*, teſta angulato muricata, rima longitudinali, ſubarticulata.

XXII.

Diſſertatio de cinerea cerebri ſubſtantia, quam pro ſummis in arte medica honoribus defendit M. CHRIST. FRID. LVDWIG, Lipſiae, d. XXVII. menſ. Auguſti CIↃIↃCCLXXIX, 4. plagg. 5. cum tabula aenea.

Verſatus eſt Cl. Auctor in conſcribenda hac diſſertatione eo modo, vt, recenſitis primum cinereis cerebri locis, de colore, latitudine, copia, irritabilitate, ſenſibilitate, fabrica, cet. ipſius ſubſtantiae cinereae diſputaret, deinceps cum alio-

rum, tum ſua zootomica obſeruata enarraret, et tandem de vſu diſputaret.

p. 3. Cinerea et velut mitralis cerebri expanſio, quae, oſſea cranii capſa et membranarum velamentis remotis, in conſpectum prodit, variam ſubſtantiae ſuae habet craſſitiem, gyrosque et anfractus formae, qui mox leuiter modo medullari parti inſeruntur, mox, et potiſſimum verſus baſin cerebri, profundiores ſunt, atque frequentiores. A variis animalibus hi gyri vel prorſus abſunt, vel loca leuiter tantum depreſſa in iis offenduntur, et in infantum, atque recens natorum molli cerebro neque diſcrimen inter albam et cineream partem deprehenditur, neque gyri ſatis manifeſto apparent. In adulto autem homine non ſolum cerebri hemiſphaeria cinerea ſubſtantia inuolui putandum eſt, verum etiam internae partes, velut calloſum corpus, nervorum opticorum thalami, corpora mammillaria

p. 5. cet. eiusdem participes ſunt factae. Et calloſum quidem corpus cum cinereos quosdam tractus, in longitudinem eiusdem ſequuntur, conſpicienda praebet, tum interne ſimiles fibras oſtendit, et pellucidum cinereum ſeptum ſub ſe poſitum habet. Mammillaria corpora intus potiſſimum cinerea ſunt, et nervorum opticorum thalami exterius alba, atque tenuiſſima lamina, per quam internus cinereus color tranſparet, tecti animaduertuntur. Diſſecti thalami anterius et inferius plus medullaris ſubſtantiae oſtendunt, et in pellucide cinerea maſſa copioſiſſima alba puncta conſpicienda praebent, quae ſtriatim collocata eſſe, neque ſolum in homine, verum etiam in aliorum animantium cerebris obſeruare Noſter animaduertit. Ceterum inter ipſos thalamos atque ſtriata corpora, quae ſuperius praedictum, ſed propemodum circum circa, rubicunda cinerea conſpiciuntur, ſubſtantia intercedit dilute

rea, quam diſſectores geminum centrum ſemicircu-
lare, vel lacunar VIEUSSENII nominarunt.

Cerebellum pariter corticali ſubſtantia, eaque p. 7.
dura et admodum copioſa inueſtitur, ita vt haud te-
mere affirmari poſſit, huic encephali parti copioſio-
rem et duriorem corticem, quam cerebro, a natura
eſſe donatum. Quanquam autem infantis nuper
nati cerebellum in hoc cum cerebro conuenit, vt
molliſſimum appareat, et velut pulticulae ſpeciem
prae ſe ferat, tamen iam in fetus cerebello plus ci-
nerei, quam albi coloris conſpicitur. In media Va-
roliani pontis parte cum in hominum funeribus, tum
in animalibus dilutum cinereum colorem Noſter re- p. 9.
perit, eum tamen ſaepe, vel quoque perpetuo, ita
ſenſim in albidiorem euaſiſſe fatetur, vt difficulter
ipſius coloris et ſubſtantiae termini definiri poſſent.
De oblongata medulla idem valere addit, quae pa-
riter dilutam cineream ſubſtantiam foueat atque
tueatur. In oliuaribus hominis corporibus arbu-
ſculum cinerea ſubſtantia inueſtitum, et in pyrami-
dalibus cinereum quaſi tinĉturam reperiri, PRO-
CHASKA auctor eſt, cet. Ex his, aliisque a Cl. LVD- p. 10.
WIGIO commemoratis obſeruationibus patet, vbi-
que prope, vel ſaltem multis in receſſibus et locis
ſubſtantiam a medulloſa differentem obuenire,
quae modo dilutior ſit, modo profundius tinĉta de-
prehendatur. Ceterum, quod ſpectat quaeſtionem,
vtrum haec ſubſtantia inter ſe cohaereat, an quili-
bet cinereus locus ab altero ſit ſeparatus? ad eam
Noſter ita reſpondet, vt aliquam ſaltem continua-
tionem concedendam cenſeat; etenim, quanquam
cortex, ſiue externa cinerea lamina gyroſa, licet
inter ſe arĉte cohaereat, haud ſatis diſtinĉte cum
internis cinereis locis coniungitur, ſubtilioribus ta-
men iniectionibus fortaſſis continuitatem reperiri
poſſe

poſſe ſuſpicatur, et neruorum opticorum thal
cum ſtriatis corporibus ope centri gemini hac
tione omnino coniungi, atque inter annularem p
tuberantiam, medullamque oblongatam non
quam inter quadrigeminas eminentias et alias
bri partes connexionem eſſe, arctamque copul
expertus eſt.

p. 11. Externi corticis color plerumque ex cine
rubro et flauo compoſitus et pellucens anima
titur, haud tamen ſemper eadem ratione comp
tus eſt, quippe aetatem, morbos varios, cet. ad
mutandum plurimum conferre poſſe conſtat.
infantis recens nati corticalis cerebri ſubſtantia
modum eſt diluta, et fere talis, quae a medull
diſtingui non poſſit, et, GREDINGIO teſte, ſtria
rum corporum, cerebelli et aliarum encephali
tium color in maniacis a naturali omnino rece

p. 12. cet. Hunc ipſum autem colorem a vaſis, tela
celluloſa, ex quibus quaeuis cinerea ſubſtantia co
ponitur, et a ſanguine in illis moto pendere, co
tum eſt; namque tam arterioſa vaſa, quam ven
pro varia aetate, variis encephali partibus, atqu
variis animantibus ac morbis laxiora aut rigidio
ampliora aut anguſtiora, modo magis, modo min
flexuoſa conſpiciuntur, neque eandem ſemper
guinis quantitatem tranſmittunt.

p. 13. Copia corticalis maſſae ex comparatione
cum medullari aeſtimanda eſt, qua inſtituta app
ruit, plus medullae, quam cinereae ſubſtantiae co
rebro procul dubio contineri; centrum
VIEUSSENII ouale, corpus calloſum, fornix, ve
triculorum parietes, pedunculi cerebri et aliae p
tes vel ſola conſtant medulla, vel cum pauca
rea ſubſtantia commiſcentur; hinc iudicari fac
de medullae abundantia poteſt. Ceterum, quod
attinet ad irritabilem corticis cerebri naturam,
pariter,

riter, atque ſenſibilitatem eiusdem nullis hacte-
us indubitatis argumentis demonſtratam eſſe,
Noſter refert, neque prius vtramque virtutem vel
adſcribi, vel denegari certo cortici poſſe fatetur,
quam frequentiora et accuratiſſima tentamina fue-
rint inſtituta, quibus forte ſe ipſum aliquando eſſe
operam daturum, ſpem nobis facit.

In declaranda cinereae ſubſtantiae fabrica Cl. Au- p. 14.
ctor hoc progreſſus eſt tramite, vt, expoſita primum
Malpighiana ſententia, quae a Ruyſchiana ipſi non
multum diſcrepare videtur, hanc alteram defende-
ret, variisque argumentis ornaret. Cenſet autem,
omnem cineream cerebri molem ex arterioſis, ve-
noſis, et lymphaticis vtriusque generis vaſis, atque
ex ſubtiliſſima celluloſa tela, quae vaſis interſit, eſſe
compoſitam, rubrorum autem vaſorum numerum
ſeroſorum copia ſuperari; quippe corticem ſem-
per diluto rubore aliquo tingi, pauca vero vaſa
manifeſta eſſe atque conſpicua in recenter diſſecto,
ſanoque funere obſeruauit; at vero in phrenitico-
rum cerebro, prout etiam in funeribus artificiali
iniectione praeparatis, vaſa multo copioſiora et ma-
nifeſtiora apparere vidit; hinc clarum eſt, atque
perſpicuum, in cinerea ſubſtantia multa rubra vaſa
ineſſe, ea autem ſeroſorum canalium quantitate
valde vinci. Celluloſa tela, quae cinereae maſſae p. 18.
immixta eſt, repeti a pia matre debet, quippe quae
ad omnes gyros deſcendat, ipſique cortici inſeratur.

His praemiſſis ad zootomica obſeruata nobis
tranſeundum eſt. At enim vero, cum hae ipſae
obſeruationes breuiter repeti haud poſſint, id
ſaltem agendum cenſemus, vt corollaria, quae ipſe
Cl. Auctor ex iis deduxit, tranſcribamus. Et pri- p. 29.
mum quidem, omnibus ſine dubio animalibus,
quibus cerebrum ſit, duplicem ſubſtantiam cine-
ream

ream alteram, alteram albam datam esse affir-
mat; deinde eas cerebri partes, quae in homine
sint cinereae, in reliquis quoque animalibus, si
adsint, eadem natura vti, et plerorumque mam-
malium, gliribus exceptis, cerebrum gyrosum
extus semper cinereum, et partium numero, imo
etiam, maxima saltem ex parte, figura humano
simile esse, situ autem atque proportione partium
diuersum deprehendi, et cerebellum compositum
animaduerti expertus est. Porro glirium cerebrum
cum auium cerebris ob gyrorum defectum conue-
nire, esseque etiam inter simplex quorundam glo-
rium cerebellum et eandem auium partem aliquam
p. 30. similitudinem vidit; hinc quaerit, an, continua na-
turalium corporum serie, per glires mammalia ce-
tera cum auibus, quibus in reliqua oeconomia haud
dissimiles sunt, coniungantur? Auium cerebrum
gyris destitutum, maximaque ex parte cinereum
est, et fere in omnibus auibus tribus cauitatibus
coërcetur; neruorum opticorum thalami caui sunt.
Cerebellum horum animalium simplex animaduer-
titur, ab eoque variae partes absunt; medulla ve-
extus ponitur, saltem non in omnibus auibus, quem-
admodum nonnullorum opinio est. Amphibiorum
cerebrum varium in variis huius classis animalibus
obseruatur, et in piscibus idem viscus tuberculatum
ex cauis tuberculis vtriusque substantiae compo-
tum, et cerebellum longitudinale deprehendi No-
ster refert. Ceterum deficere in auium nonnullo-
rum cerebro cinereas partes varias, e.g. corpora
striata distincta, glandulam pinealem, quadrige-
na corpora, cet. et a piscibus nonnunquam haec
ipsa quadrigemina corpora, et pinealem glandu-
lam, quemadmodum etiam externum corticem
abesse dicit, de amphibiorum autem et reli-
qu-

quarum beſtiarum cinereis partibus deficientibus, propter obſeruationum defectum, nihil proponere audet.

De vſu cinereae ſubſtantiae mentem ſuam in p. 30.
ſerta paragrapho Noſter cognitam reddit, eumque in eo exiſtimat cerni, vt ex ſanguine allato quaedam liquidae partes ſeparentur, quae cerebrum, eiusque appendices nutriant, iuſtumque illis elaſticitatis et ſenſibilium facultatum tenorem et vim inſtillent. Etſi autem neque ſingularum cinereae maſſae partium officia, neque praeparati fluidi naturam accuratius definire audet, hoc tamen ipſi eſt perſuaſum, in ſingulis corticis partibus ſingularum et diuerſarum ſecretionum officinam eſſe, et in ſtriatis corporibus aliud liquidum praeparari, quam in neruorum opticorum thalamis, cet. illudque potiſſimum neceſſariam ad animales actiones exercendas peragendasque elaſticitatem neruis praebere, neque propria mobilitate ſenſum et motum exercere, cet.

Figurae tres priores cerebrum Anatis anſeris 1) dura meninge adhuc inueſtitum, 2) oblique, ac 3) perpendiculariter diſſectum ſiſtunt, et quarta, quintaque ranae temporariae cerebrum conſpiciendum praebent.

XXIII.

Diſſ. de ſenſibilitate oſſium morboſa, Praeſide ADOLPHO MURRAY, in Audit. Guſt. Maior. d. 6. Maii 1780, pro Gradu Doctoris a *Laurent. Brandelio* habita. Vpſalae apud Ioh. Edmann, Direct. et Reg. Acad. Typogr. 4. pagg. 26.

Oſten-

p. 4. Oſtendit Cl. MURRAY initio huius tractatus diſcrimen, quod inter nomina ſenſibilitatem et irritabilitatem intercedit, quorum unum fibrarum ſcularibus ſolum proprium ſit, alterum neruis, HALLERVS primus docuerit, neque ullam huc poris facultates habere cognationem. BOERHAVIVS quidem et BIANCHI crediderunt totum pus ex neruis conſtare, horum autem ſententiam

p. 5. pluribus refutare conatur Cl. Auctor. Etenim raro obſeruatores duplici modo ſeſe decipi paſſi ſiue enim partibus ſenſum tribuerunt aliquem, neruis circumrepentibus debebatur, ſiue loca

p. 6. labe infecta diſquiſitioni ſubiecerunt. Quantam commutationem aliquando partes ex morbo eant, optime perſpicimus in ligamentis, quibus vulnus quoddam integris adhuc infligitur, aut capſula articulatoria ad euacuandam aquam tur, perforatur, amburitur, cauſticis liquoribus tatur, ne minimo doloris ſenſu afficiatur aeger. Quo vero pure clam collecto, decubitu humorum et acri, fungoue ſtructura ligamentorum ipſa pati inciſiones non ſolum dolorificae eſſe ſolent, ver etiam aegri continuo dein dolore ſaepius excruc tur hoc, qui in conuulſiones et ſpaſmum cyno interdum ſtatim tranſit. Vnde tela celluloſa ex more ſtagnante et irritante adeo excreſcit et vitur, vt ipſum articuli volumen augeatur, et ne inter extima ſtrata leuiter antea decurrentes, ſolum fortius ad ligamenta reuinciantur, ſed ab morboſa ſubſtantia quaſi circumuelentur et in

p. 7. dantur. Atque ex hac cauſſa ſenſibilitatem cellulosae ſingularem Cl. MECKEL deriuandam arbitratur.

Pergit Noſter ſententiam ſuam de ſenſibilitate oſſium confirmare hoc, vt, quemadmodum omne

omnes partes neruis carentes nullo ſenſu eſſe prae- p. 8.
ditas exploratum ſit, ſic non omnia loca, quae neruos
habeant, perceptibili gaudere ſenſatione contendat.
Hepar ſcilicet, ſplen, renes, pulmones et vaſa arte-
riosa neruos accipiunt haud paucos, cum vero ſub-
tiles ſint, et tenuiores, viſcera haec, quamquam
cuſticis laceſſantur et inciſionibus irritentur, nul-
lum produnt doloris ſenſum. Quam in rem Cl.
MURRAY quaeſtionem proponit hanc: nonne his
partibus, quae, licet neruos habeant, parum tamen
vel nihil ſentiunt, oſſa ſunt annumeranda? Cuius p. 9.
rei vt certiores fiamus, duas eſſe, inquit, vias, qui-
bus praeſentia neruorum in hac, illaue parte demon-
ſtrari poſſit, artificioſam nempe nerui diſſectionem,
vel, ſi propter ſubtilitatem hoc fieri nequiret, expe-
rimenta in animalibus inſtituenda. Quae quidem
viae tam lubricae atque tam multis obſtaculis impe-
ditae reperiuntur, vt omni opera adhibita fructus
percipiatur exiguus, propterea, quod nerui ad fines
ſuos cylindricam amittere videntur formam, et in
planam quaſi faſciam, aegre ab ipſis celluloſis filis
fortioribus diſtinguendam, extenduntur, vt Cl. Auctor
affirmat. At enim vero, etſi difficile eſt, neruos ad p. 11.
oſſa vſque proſequi, tamen in nonnullis locis, vti in
tuberculo occipitali, alis ſphenoidalibus, cet. hos ad
canaliculos oſſium deducere poſſumus, ſed longe faci-
lius in artubus, vt in oſſis brachii apertura ſulco bici-
pitali vicina, in femore prope lineam aſperam, in tibiae
facie poſteriore et ſuperiore, nec non in calcanei la-
tere interno labor procedit. Ex quo bene intelligitur,
neruos interiorem oſſium ſubſtantiam penetrare.

Sectione decima quaerit Noſter, quo modo ner- p. 12.
vuli hi oſſium diſpergantur, vtrum omnes ad me-
dullam oſſis tendant, an nonnulli in fibris ipſis oſſeis
ſubſiſtant, et vnice ad experimenta in viuis inſtituen-

da prouocat. Quam quidem quaeſtionem quum
multis exemplis, iisque grauiſſimis, a viris in reb
medicis peritiſſimis inſtitutis confirmauerit, medul
lam ſcilicet ſentire, ita, vt iam HIPPOCRATES vulner
oſſium ad medullam penetrantia deliria, ob dolorem
excitare aſſeruerit, alia excipit, eaque multo diffic
p. 15. lior, quae ita comparata eſt: num oſſea ſubſtantia ip
ſenſum habeat vllum? Varias itaque CHESELDENI
HALLERI, CALDANI, VERNAE, aliorumque ration
commemorat, quorum auctoritate omnem oſſiu
ſenſationem abrogare non dubitarunt, praeſertim
quum ſub ignis, aliorumque externorum rem
diorum corrodentium applicatione, nec non a
ictu, roſione atque ipſa oſſium perterebratio
indolentiam quandam obſeruarint. At vero quam
quam haec experimenta primo intuitu tot
diſquiſitionis grauitatem ſuſtuliſſe videntur, tamen
p. 16. Noſtro auctore, iis nihil aliud efficitur hoc, v
oſſa ſana vel leuiter corrupta omni ſenſu ſint deſti
ta, neruique latentes, ſi qui adſint, naturalem ſuam
ſententia CALDANI non exſerant facultatem. V
de his ſubtilioribus ſurculis, quippe cum firma ſub
ſtantia neruos interpoſitos ita perſtringat et co
primat, vt obiectorum impreſſionibus animu
mouere nequeant, idem accidere veroſimile e
Quemadmodum enim manus, pedumque plan
callis obductae ſubiectorum neruorum ſenſum no
percipiunt, artusque compreſſione neruorum pr
tractiore ſtupent, acriorem ſenſum et denique
omnem amittunt; ſic etiam ii, qui in ipſam oſſiu
ſubſtantiam diuiduntur, materia adeo compacta
dura quaſi ſtrangulentur et virtutes ſuas exuant, ne
ceſſe eſt; accedit, quod exteriora harum partium
ſtrata propter firmitatem, interiora vero propter
mollitiem, haec multo maiora, illa longe minora
edunt ſenſibilitatis ſigna.

His

His omnibus breuiter enarratis, hiſtoria aegrae cuiusdam ipſa ſequitur, quae anno 1774 Lugduni Gallorum in noſodochio magno commorabatur, quacum ipſe experimenta, auctore Cl. CARET, noſocomii tum chirurgo primario, inſtituit varia. Scilicet ancilla annos circiter triginta ſex nata, quum ante ſex annos ex ſcalis decidiſſet, in lapidem caput adeo grauiter impegit, vt in oſſis parietalis medio entis laederetur, inde ab hoc tempore doloribus cruciabatur vehementiſſimis. Hanc laeſionem tam parui fecit, vt omnem ſperneret chirurgi operam, atque adeo cicatricis formatio ante vulneris depurationem integram ſuccederet inaequalis, craſſa et ad tactum dolens, quae quidem incommoda temporis ſucceſſu auferri ſpem alebat magnam. Biennio vero poſt cicatrix multo turgidior fieri et acerbe dolere ita, vt noctes, diesque inſomnes tranſigere cogeretur, vſque dum ipſa diſrumperet. quo tandem inſignis dolor adhibitis quoque remediis ceſſit. Quo citius autem ulcus coibat, eo grauius dolebat caput; adiit igitur Cl. CARET, qui quum diſquiſitionem faceret, duas inuenit cicatrices ſibi vicinas, recentiorem et primam, easque tumidas, inaequales, duras et tactus impatientiſſimas. Itaque has ad os vſque carie iam eroſum incidit, qua operatione quoque lenimen percepit aegra haud paruum. Praeterea totam oſſis carioſi ſuperficiem cauſtico tentauit remedio, quod ob dolores inſuper cum conuulſionibus admodum grauiter tulit. Trepanationem igitur inſtituit, quam aegra ob conuulſiones et animi deliquium mox interrumpebat, interim tamen ſubinde quasdam coronas applicuit.

Quo facto ad ſeparandam carie deſtructam partem properauit, ſed ob duram matrem adhaerentem, et ob fungoſam excreſcentiam exciſio impediebatur, intercedentibus ex leuiſſima

irritatione doloribus aegrae intolerabilibus. Postea dolores capitis, a quibus perplures menses non vexata fuerat, redibant. Qualem postea sortem subierit haec, se ignorare Cl. MURRAY ait, interim tamen asseuerat, non raro se nudum os variis in locis, insecia aegra, tetigisse specillo, eamque semper ex hac leui tactu dolorem percepisse acerbissimum.

Non dubitat Cl. Auctor contendere, in nonnullis cariei speciebus, quae originem duxissent suam a corruptis humoribus, vt in scorbutica, venerea et cancrosa, ipsa carioſa ossicula tantam obtinuisse sensibilitatem, ut sine acerbo aegri dolore tangi non possent, innixus auctoritatem NIC. MASSAE, qui in femore carioso, cum vlcere magno coniuncto hanc detigerit. Quam vero mirandam commutationem ossa, morbo emollita sentiant, ex observationibus Cl. DEIDIER et PETIT satis constare videtur. Duplicem denique ossium sensibilitatem diuersam asserit, cuius quidem causa, cur nerui hi subtiliores, substantiam ipsam intrantes et a dura materia per tot annos vndique ita compressi, vt in statu suo insitam vim exserere non valeant, imo vero eam occultatam retineant, et quaenam ratio sit, cur in his morbis maiorem saepissime inueniamus sensum quam qui a tam subtilibus metui possit neruis, a physiologis diligentius perueſtigetur, optat.

XXIV.

XXIV.

CL. GOTTLOB RICHTERI, Medicinae Doctoris, Magnae Britanniae Regis Conſiliarii Aulici et Archiatri, Medicinae in Academia Gottingenſi Profeſſoris Primarii cet. Opuſcula medica, antehac in Academia Gottingenſi ſeorſim edita, nunc vero collecta, ſtudio IO. CHRISTIANI G. ACKERMANNI, Medicinae Doctoris. Praefatus eſt DANIEL WILHELMVS TRILLERVS, Vol. I. pagg. 464. 1780. Vol. II. pagg. 462. eod. Vol. III. pagg. 566. 1781. Francofurti et Lipſiae, ſumtibus Ioannis Georgii Fleiſcheri. 4.

Dicata ſunt haec opuſcula a Cl. ACKERMANNO Venerando Seni TRILLERO, qui quoque hic praefatus eſt conſuetudinis potius iam dudum receptae et adhuc vigentis, quam neceſſitatis vrgentis cauſa, vti ipſe TRILLERVS hic fatetur. Alias enim ill. TRILLERO res omnino videbatur inanis et ſuperflua, opus iam interna ſua virtute et praeſtantia per ſe commendabile, externa quoque inſuper commendatione operoſe nimis ornare, ſiue rectius onerare. Haec opuſcula igitur multas, variasque diſſertationes academicas ac diuerſa programmata ſparſim edita, complectuntur, quae maximam quidem partem pathologici, diaetetici et practici ſunt argumenti, partim vero etiam philoſophici, phyſici, philologici, ſubtilioris ingenioſi ac curioſi. Sunt itaque profecto Cl. ACKERMANNO grates habendae pro ſtudii aſſiduitate, qua haec opuſcula collegit, et indice rerum auxit. Quae praeterea ſub praeſidio b. RICHTERI ſunt defenſa, nec ab eo ipſo elaborata, annotauit. Nos vero iam cuiusque voluminis contenta hic communicamus cum Lectoribus noſtris.

Vol. I. In primo volumine continentur diſſertationes.

CH. G. HEYNE Progr. quo memoriam b. RICHTERI ciuibus, poſteritatique commendat, Gott. 1775.
De lacte inſonte, 1737. Reſp. *N. W. Cuhn.*
De morbo hypochondriaco, 1739. Reſp. *Lehmann Iſaac Kohen.*
De diuino HIPPOCRATIS, 1739. Reſp. *C. Ph. Io. Matty.*
De malo hyſterico, 1741. Reſp. *Fr. Gottl. Meier.*
De fluxu ventris dyſenterico, 1742. Reſp. *H. Godofr. Liechte.*
De medicina ex Talmudicis illuſtrata, 1743. Reſp. *Beni. Wolf Ginzburger.*
De ſcorbuto, 1744. Reſp. *Herrm. Chr. Sartorio.*
De eryſipelate, 1744. Reſp. *G. Cph. Starke.*
De cunis infantum maxime nobiliorum, 1745. Reſp. *Io. Gottl. Friderici.*
De cachexia icterica, 1745. Reſp. *Io. Henr. Zopff.*
De medicina plagoſa, 1746. Reſp. *Georg. Alb. de Selpert.*
De inſolatione ſeu poteſtate ſolis in corpus humanum, 1747. Reſp. *C. A. de Selpert.*
De natura morborum per morbos victrice, 1747. Reſp. *Io. Eberh. Werkamp.*
De tuſſi, 1747. Reſp. *Io. Bernh. Martini.*
De tenuitate humorum temere laudata, 1750. Reſp. *Ed. Iac. Lupin.*
De cardialgia, 1750. Reſp. *C. Sal. Koeler.*
De tremore, 1750. Reſp. *C. A. Richter.*

Vol. II. Volumini ſecundo inſunt diſſertationes.

De voce naturae, ſeu ſenſibus internis variae corporis indigentiae adſtrictis, 1751. Reſp. *Io. Fr. Ackermann.*
De ſpe et praeſidiis longaeuorum, 1752. Reſp. *Chr. Seip.*

De

De natura, labe et praesidiis memoriae humanae, 1752. Resp. *Georg. Fer. Wegener.*

De silentio medico, 1752. Resp. *Henr. Balemann.*

De iusto febrium moderamine, 1753. Resp. *Aug. Wilh. Berlin.*

De salubritate fructuum horaeorum, 1754. Resp. *Gottl. Aug. Segnitz.*

De doctarum lucubrationum noxis, 1755. Resp. *Io. Barth. Ienisch.*

De statu mixto somni et vigiliae, quo dormientes multa vigilantium munera obeant, 1756. Resp. *Io. Fr. Müller.*

De sene valetudinis suae custode, 1757. Resp. *Io. Sam. de Berger.*

De cura magistratus circa valetudinem ciuium, 1758. Resp. *Iesaia Iuda.*

De coctionum praesidiis euacuantium ab vsu euersis, 1758. Resp. *Cosmann Vlmann.*

De valetudine hominis nudi et cooperti, 1763. Resp. *Beyfuß Anselm Schloß.*

De prisca Roma in medicos suos haud iniqua, 1764. Resp. *Aug. Gottl. Richter.*

De pleuritide vera singulari casu illustrata, 1768. Resp. *Adriano Tattarinoff.*

Volumen tertium complectitur prolusiones. Vol. III.

De morte sine morbo, tanquam extrema artis salutaris meta, et de legibus diaeteticis, quae ad illam maxime ducunt, 1736.

De causis instabilis medicamentorum effectus, 1736.

De iudicio virium medicarum pro variis vegetabilium partibus, 1737.

De celeri ingestorum mutabilitate non semper salubri, 1737.

De prudentia medica, ambiguos naturae motus et crises determinandi, 1737.

De naturae apparente prodigentia ratione seminum, 1738.

De veterum empiricorum ingenuitate, 1741.

De naeuis theoriae medicae, 1741.

Breuis de voce χοιλίας disquisitio, 1741.

De repentina morte hominum specie sanorum, 1741.

De virtute stomachica vini calidi, 1741.

De purpurae antiquo et nouo pigmento, 1741.

De materia et sede podagrae, 1741.

De mania erotica, 1741.

De viis sputi pleuriticorum, 1744.

De censura nimiae laudis haemorrhoidum, 1744.

Breuis inquisitio in Hippocraticas scorbuti antiquitates, 1744.

De assuetudine venena ferendi in drimiphagis, 1744.

De phthisi sine vlcere, 1744.

Iudicium de phthisi neruosa, 1744.

Vindiciae HERRM. BOERHAAVII aduersus censorem Anglum, 1744.

Coniecturae quaedam de duplici nouo inflammationum exitu, rigescendo et desquamando, 1744.

De crisibus veterum in morbis, iisque proprio tempore, 1748.

De balneo inprimis animali, 1748.

De ieiuniorum ac nimiae sobrietatis noxis, 1752.

De constantia senilis valetudinis, 1752.

De piscium salutari cibo, 1752.

De limitandis laudibus perspirationis, 1753.

De salutaris somni mensura et tempore, 1753.

De salutari situs corporei varietate litteratis etiam qui scribendo, legendo, meditandoque occupantur, opportuna, 1756.

De ſalutari dormientium ſitu, 1756.
De lege conſuetudinis concilianda, 1756.
Qua oſtenditur, frigus capiti, fotum caloremque pedibus magis conuenire, 1756.
De inſalubri lactis et vini miſcela, 1756.
Succincta commentatio de morte Seruatoris in cruce, 1757.
De ſalutari, limitando tamen equitationis exercitio, 1757.
De medico morientis adſpectum magis, quam mortui fugiente, 1759.
Paralyſis alio ſenſu priſcis, alio recentioribus ſumta ad paralyticos N. T. accommodatur, 1759.
Contra mendaciorum immunitatem a PLATONE Medicis conceſſam, 1759.
De victus animalis antiquitate et ſalubritate, 1761.
De ſiccis et ſobriis, 1764.
De commodis ſenectutis, inprimis ſenili ſatietate vitae, 1764.

XXV.

Noua phyſico medica.

Societas medica *Pariſienſis* propoſuit ad annum 1782 quaeſtionem hanc:

Quales feminae ſint, quae ipſae a lactatione infantum ſe abſtineant neceſſe eſt? (Quelles ſont les femmes, qui doivent ſ' abſtenir de nourrir elles mêmes leurs enfans?)

Ex obſeruatione et experientia definiantur rationes, in quibus et matri, et infantibus vtilius ſit, a lactatione abſtineri. Praemium 300 librarum Gallicarum optimo tractatui dabitur. Commentarii ante primum Ianuarii diem anni 1782 mittantur.

Altera quaeſtio ad eundem annum propoſita eſt haec:

Exponantur natura, cauſſae, mechaniſmus hydropis atque eum tractandi ratio, ac indicentur praecipua ſigna, ex quibus indicationes certae ad remedia, variis in caſibus et vario in gradu morbi conuenientia, deſumi poſſint. (*D' expoſer la nature, les cauſes, le mecaniſme & le traitement de l' Hydropiſie, & ſurtout, de faire connoitre les ſignes, qui fixent, d' une maniere préciſe, les indications des différens genres de ſecours appropriés aux divers cas & aux diverſes eſpéces d' épanchement.*)

Optat Societas non de hydrope tractatum, ſed vt vniatur ſeries nouarum obſeruationum ſuper difficillima, ex natura huius morbi et curandi ratione petita, momenta. Praemium, optimo commentario deſtinatum, eſt 300 librarum: commentarii ante primum Iunii 1782 mittantur, vti priores, ſolutis vectigalibus, ad Cl. VICQ D' AZYR, qui Societati eſt a Secretis.

Academia Regia Scientiarum et Artium *Burdegalenſis* ad annum 1782 quaeſtioni ſequenti praemium duplum 600 librarum concreuit.

Eſtne ſignum quoddam, quo poſſint etiam obſeruatores, minus exercitati, cognoſcere tempus, quo arborum praeſertim quercus, deſinant creſcere, et quo incipiant perire: et, ſi quaedam ſint, habentne in genere locum, atque afficiunt neceſſario arbores, cuiuis terrae implantatas? (*Exiſte-t-il quelque indice ſenſible, qui puiſſe faire connoitre aux obſervateurs les moins exercés, le tems, où les arbres, & principalement les chénes, ceſſent de croître, & ou-ils vont commencer à déperir? Et ces indices* (*à ſuppoſer qu' il y en ait*), *ont-ils generalement lieu, & affectent ils néceſſairement les arbres venus dans toutes ſortes de terrains.*)

Commen-

Commentarii mittantur ante 1 April. 1782. ad Cl. LAMONTAIGNE, Secretarium Academiae ea, qua volunt, ratione ſupra a nobis indicata.

Quaeſtio phyſica Academiae Scientiarum, elegantiorum Litterarum et Artium *Lugdunenſis* in annum 1782 eſt ſequens:

Eſtne electricitati atmoſphaericae quidam influxus in vegetabilia? Quaenam ſunt huius influxus effecta? Si qua ſunt noxia, quibus remediis iis medendum? (L' electricité de l' atmoſphére a-t-elle quelque influence ſur les vegetaux? Quels ſont les effets de cette influence? & ſ' il en eſt de nuiſibles, quels ſont les moyens d' y remedier?)

Praemium eſt moneta aurea 300 librarum.

Quaeſtio hiſtorico naturalis:

Qualia fuere, et cuius generis ſunt alimenta et potus populi in diuerſis climatibus? Quales fuerunt, qualesque inde effectus oriuntur ratione ſanitatis, virium, durationis vitae atque propagationis. (Quels ont été & quels ſont les alimens & les boiſſons des grands peuples, dans les differents climats? Quels en ont été & quels en ſont les effets relativement à la ſanté, à la force, à la durée de la vie & à la population.

Conditiones eaedem, praemium duplex, alterum aureum 300, alterum argenteum 25 librarum. Commentarii Gallici aut Latini mittantur ad Cl. DE LA TOURRETTE, qui a Secretis Academiae eſt, ante 1 April. 1782.

Academia Regia Scientiarum et Artium *Berolinenſis* PAVLVM IOSEPHVM BARTHEZ, Monſpelienſis Vniuerſitatis Cancellarium, et ANTONIVM SCARPAM, in Mutinenſi archigymnaſio anatom. et chirurg. Profeſſorem et Mutinenſ. Ducis Chirurgum primarium, in numerum exterorum membrorum recepit.

Petro-

Petropolitana Scientiarum Academia D. PRIESTLEIVM, JACQVINVM, Profeſſ. Vindobonenſ. MORRINGIVM, Archiatrum Ieuernenſ. FORSTERVM, Profeſſorem Halenſem, et BANKSIVM, Londin. inter Socios retulit.

Sociis Academiae Naturae Curioſorum nuper adſcripti ſunt I. C. G. ACKERMANNVS et P. L. WITTWERVS, Medicinae Doctores.

I. C. F. VOITVS, Chirurgiae in Collegio Berolinenſi Regio medico-chirurgico factus eſt nuper Profeſſor.

IOH. REINHOLD FORSTER Profeſſionem hiſtoriae naturalis *Halae* obtinuit.

MEZGERI morte vacuam redditam Profeſſionem Aſtronomiae Mannhemenſem KOENIGIVS, ex Soc. IES. accepit.

D. CHRIST. FRIED. NÜRNBERGER in Vitebergenſi Academia Profeſſionem Medicinae extraordinariam adeptus eſt.

GEORG. HENR. BOROWSKY, Regiomonto-Boruſſus, munus naturalem hiſtoriam extra ordinem docendi in Francofurtana Academia nuper in ſe ſuſcepit.

I. C. STARKE Profeſſor Medicinae extraordinarius in Ienenſi Vniuerſitate factus eſt.

SAM. THOM. SOEMMERING, M. D. nuper Anatomiae et Chirurgiae Profeſſionem in Illuſtri Alma Carolina, quae *Caſellis* floret, obtinuit, adiitque hoc munus

munus publico programmate *de cognitionis ſubtilioris ſyſtematis lymphatici in medicina uſu*, 1779.

GEORG. HENR. WEBER extraordinariam Medicinae in Chilonienſi Vniuerſitate Profeſſionem cum ordinaria commutauit.

Experientiſſimus IOAN. GODOFREDVS LEONHARDI *Lipſiae* Profeſſionem Medicinae extraordinariam accepit, quam programmate *de Aërologiae phyſico-chemicae recentioris primis lineis;* et oratione *de recentiorum chemicorum operibus ad medicinam illuſtrandam*, die XXVIII. menſ. April. 1781 auſpicatus eſt.

In memoriam CAROLI LINNEI cuſum eſt nuper *Holmiae* numiſma, quod ab altera parte effigiem ſummi viri, in altera Cybelen cum ſymbolis trium naturae regnorum, habitu lugubri ſtantem, monſtrat. Circumſcripta leguntur verba: *Deam luctus angit amiſſi;* infra: *poſt obitum Vpſaliae, d. IX. Ianuar.* CIↃIↃCCLXXVIII. *Rege iubente.*

Mortui ſunt:

D. XVI. menſ. Sept. 1778. D. CHRIST. ANDREAS VON MELLEN, Noſocomiorum Imperialium medicus, triceſimo octauo aetatis anno, *Petropoli.*

D. XIX. menſ. Nouembr. 1779. HENRICVS GODOFREDVS Comes DE MATTUSCHKA, anno aetatis quadrageſimo quinto. Sileſienſis florae editione ſe inprimis celebrem reddidit.

D. XXIV. menſ. Febr. 1780. IO. ADAM POLLICH, hiſtoria plantarum in palatinatu ſponte creſcentium clarus, *Lutrae Caeſareae.*

D. XXIII. menſ. Mart. 1780. IOH. IAC. LERCHE, primus exercituum Ruſſicorum medicus, *Petropoli.* Natus erat Potsdampii d. XXVII. menſ. Decembr. 1703.

XXVI.

Continuatio ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1777 prodierunt.

Anleitung zur Technologie, oder zur Kenntniß der Handwerker und Manufakturen, von IOH. BECKMANN, *Götting.* 8. *m. K.*

Gegründete Verſuche und Erfahrungen von der zu unſern Zeiten höchſt nöthigen Holzſaat, zum allgemeinen Beſten herausgegeben von IOH. GOTTL. BECKMANN, *4te Auflage, Chemnitz, m. 1. K.*

EIVSD. *Forſtkalender*, v. VON WERNECK.

Herrn BERTINS *vollſtändige Abhandlung der Oſteologie, oder Knochenlehre. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von* I. P. G. PFLUG, I *Band. Koppenhag* 8. *m. K.*

BERGMANN Diſſ. de arſenico (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 446.)

BERGII materia medica (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 412. *et* 653.)

IOH. HEINR. BENI. BERGSTRAESSER *Nomenclatur und Beſchreibung der Inſekten in der Grafſchaft Hanau-Münzenberg.* v. ſupra p. 403.

IO. IAC. DE BERTHOLDI Diſſ. anatom. phyſiol. medica exhibens primas lineas noſologiae morborum venae portae, Vindobon. 8.

FRANC. BEVTH Iuliae et Montium ſubterraneal foſſilium variorum per vtrumque Ducatum hinc inde repertorum ſyntagma, 8 mai. c. f. (*Catalogus nominum quorundam nouorum petrefactorum et locorum.*)

G. I. BEVTH *Abhandlung von Fiebern, Leipzig,* 1. 2 *Theile.*

G. BICKER Diſſ. de recto atque tuto mercurii ſublimati corroſiui uſu in variis morbis, Gotting. 4

STEPH.

STEPH. BLANCARDI Lexicon medicum per ISENFLAMM. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 367.)

BOERHAAVE v. DELIVS.

ERNEST. GOTLOB BOSE progr. de generatione hybrida, Pars I. et II, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. ſiſtens aduerſaria de febre lenta neruoſa, rheumatiſmo et hydrope. Auct. et Reſp. C. G. DEMIANI, ib. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de corporis humani laeſionibus externis caute diiudicandis. Reſp. P. I. D. LVTHERIZ, ib. 4.

BOEHMER de nono pare neruorum. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 277.)

G. R. BOEHMER Diſſ. inaug. ſiſtens ſpermatologiae vegetabilis P. I. de ſeminum exiſtentia, differentia et vſu. Reſp. *M. T. Graefe*, Viteb. 4.

Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen zur Aufnahme der Mathematik, vaterländiſchen Geſchichte und Naturlehre, herausgegeben von IGN. *Edlen* VON BORN, *3ter Band, Prag* 8.

* * BOETTGERS *Einladungsſchriften. Verzeichniß der fremden und einheimiſchen Bäume und Stauden in dem Garten des Weiſſenſteines,* 1 *und* 2*te Abhandlung, Caſſel* 8.

I. P. BRINKMANNS *Beweis der Möglichkeit, daß einige Leute lebendig können begraben werden, nebſt einer Anzeige, wie man dergleichen Vorfälle verhüten könne, Leipzig* 8.

EIVSD. *Beyträge zu einer neuen Theorie der Gährungen, ib.* 8.

EIVSD. *von der Würkung des Blattereiters bey der Inokulation, ib.* 8.

Auserleſene Fälle der ausübenden Arzneykunſt von I. BRISBANE. *Aus dem Engliſchen überſezt und mit Beobachtungen eines deutſchen Arztes vermehrt, Altenburg* 8.

BRIS-

BRISBANE *auserlesene medicinisch praktische Fälle. Aus dem Englischen übersezt und mit eigenen Zusätzen vermehrt, Rothenburg an der Fulda* 8.

H. L. VON BROCKE *Wiederlegung der sogenannten Beurtheilungen des Königl. Preuß. Oberforstmeisters* VON WEDEL *wegen der Frage von der Vermehrung des Wachsthums der Bäume in Forsten etc. Leipz.* 8.

Storia della squinancia cancrenosa epidemica e contagiosa da GIOVANNI BRUGNONI, Turin 8.

BRÜCKMANN *von dem Weltauge oder* lapide mutabili. (*v. comm. nostr. Vol. XXIII. p.* 34.)

HENR. IOS. BRVN duodecim quaestiones medicae, Monspel. 8.

CHR. PET. BVCH diss. de tartari emetici praestantia, Erlang. 4.

Traité oeconomique & physique des oiseaux de Basse-cour. Par Mr. BUCHOZ, à Paris.

EIVSD. *ökonomisch physikalische Abhandlung vom Federvieh, welches zum Vergnügen in den Vorhöfen und Vorwerken pflegt gehalten zu werden. Als ein Unterricht dieses Geflügel zu erziehen, zu erhalten, zu vermehren, zu füttern und in der Hauswirthschaft zu benutzen. Aus dem Französischen übersezt von* I. W. CONSBRVCH. *Als ein Supplement zu* BUFFONS *Naturgeschichte, Münster* 8.

BÜFFONS *allgemeine Historie der Natur* 10ten Theils 1 *Band. Aus dem Französischen mit Zusätzen übersezt, Leipzig.* 4. *m. K.*

EIVSD. *Naturgeschichte der Vögel. Aus dem Französischen übersezt, mit Anmerkungen, Zusätzen und Kupfern vermehrt von* D. MARTINI, 5 *und* 6*ter Band, Berlin* 8.

EIVSD. *Naturgeschichte der vierfüßigen Thiere, mit Vermehrungen aus dem Französischen übersezt, 5ter Band, ib.* 8. *m. K.*

Flora

Flora Pariſienſis: ou deſcriptions et figures des plantes, qui croiſſent aux environs de Paris. Par Mr. BULLIARD, à Paris, Tom. II.

Grundriß der allgemeinen Haushaltungswiſſenſchaft zum Nutzen der Jugend entworfen von D. ANTON FR. BÜSCHING, *Hamburg* 8. *2te Auflage.*

Beantwortung zweyer Briefe, welche Herr BALDINGER *in ſein Magazin für Aerzte gegen* C. L. HOFMANNS *Abhandlung von den Pocken hat einrücken laſſen, durch* HEINR. CHARET, *Münſter* 8.

HENR. CALLISENII inſtitutiones chirurgiae hodiernae, Hauniae 8. mai.

EIVSD. *Abhandlung über die Mittel die Seefahrenden, und beſonders die Beſatzungen der Königlich Däniſchen Kriegsſchiffe geſund zu erhalten, überſezt von* I. P. G. PFLVG, *ib.* 8.

P. CAMPERS *Abhandlung von den Kennzeichen des Lebens und Todes bey neugebohrnen Kindern. Nebſt einigen Gedanken über die Strafen des Kindermordes. Aus dem Holländiſchen überſezt und mit neuern Zuſätzen des Verfaſſers, wie auch einigen Anmerkungen vermehrt von* I. F. M. HERBELL, *Frf. und Leipzig* 8.

Diſſertation ſur l'huile de *Palma* CHRISTI, ou l'huile de Ricin, que l'on appelle communément *huile de Caſtor;* dans la quelle on donne l'hiſtoire de cette huile; on expoſe ſes propriétés, & on en recommande l'uſage dans les maladies bilieuſes, calculeuſes & autres; par le Doct. PIERRE CANVANE, Med. à Basle &c Ouvrage traduit de l'Anglois par Mr. HAMART DE LA CHAPELLE, Doct. en Med. de la Fac. de Caen &c. à Londres 8.

FRANZ LVDW. CANCRINVS *erſte Gründe der Berg- und Salzwerkskunde 7ter Theil, 1ſte Abtheilung, welche die Mechanik, Hydroſtatik, Aërometrie und Hydraulik enthält, Fr. am Mayn* 8. *m. K.*

F. A. CARTHEVSER progr. de quibusdam vinorum adulterationibus ſanitati noxiis, quae additamentis mineralibus peraguntur, Gieſſae 4.

Thermarum Toeplicenſium in inferiori Carnioliae exiſtentium examen et vſus, mandato et ſumtibus Celſiſſ. R. I. Princ. AB AVRSBERG ſuſcepta et deſcripta ab ANTON. CASTELLEZ, Med. Doct. et Phyſico Lubacenſi, *d. i. Prüfung und Gebrauch des warmen Bades zu Töplitz in der Ukraine, unternommen und beſchrieben, auf Befehl und Koſten des Durchl. H. R. R. Fürſten* VON AURSPERG *von* ANT. CASTELLEZ, *Wien* 4.

A complete treatiſe of electricity in theory and practice. With original experiments. By TIBERIUS CAVALLO, Lond. 8. (*vid. ſupra p.* 303.)

IAC. CLARKS *Anmerkung von dem Hufſchlage der Pferde und von den Krankheiten an den Füßen der Pferde, Leipzig* 8.

COLLIN *Heilkräfte des Wohlverley etc. aus dem Lateiniſchen überſezt, mit einer Vorrede über verſchiedene Tugenden dieſes Gewächſes vermehrt und durch neue Erfahrungen beſtätigt von* D. IOH. IOS. KAVSCH, *Breslau* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XXI p. 137.)

COLLINI *Tagebuch einer Reiſe etc. Aus dem Franzöſiſchen überſezt und mit Anmerkungen begleitet von* I. S. SCHROETER. (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 252.)

Anfangsgründe der Metallurgie etc. von IO. ANDR. CRAMER, *3ten Theils 1ſter Band, Blankenburg und Quedlinburg m. K.*

H. I. VON CRANZ *Geſundbrunnen der Oeſterreichiſchen Monarchie, Wien* 4.

F. I. CVNTISA diſſ. de viribus medicis nicotianae, eiusque uſu et abuſu, Vienn. 8.

Flora Londinenſis: or Plates and Deſcriptions of ſuch plants, as grow wild in the Environs of London, with their Places of Growth and Times

mes of flowering; their ſeveral Names according to LINNEVS and other Authors: with a particular Deſcription of each Plant in Latin and Engliſh; to which are added their ſeveral uſes in Medicine, Agriculture, Rural Oeconomy, and other Arts. By WILLIAM CURTIS, Faſc. I. fol. (*Uberior deſcriptio et alia multa ſcitu digna unicuique plantae ſubiunguntur.*)

IOH. AVG. DONDORFS *Verſuch eines Beweiſes wider die Exiſtenz der anziehenden Kraft. Nebſt einer Erklärung von der wahrſcheinlichen Urſache der Wirkung des Magneten, von der Beſchaffenheit der Elektricität, vorzüglich in Anſehung des Anziehens elektriſcher Körper in dem leeren Raum. Mit einer Vorrede von Hrn.* D. ZIEGLER, *Quedlinburg* 8.

De remediis contra formicas, Auctore IO. IVL. WILH. DEDEKIND, Helmſt. 8.

An experimental inquiry into the cauſe of the changes of colours in opace and coloured bodies, with an hiſtorical preface, relative to the parts of philoſophy, therein examined, and to the ſeveral arts and manufactures dependent on them. By EDW. HVDS. DELAVAL, Lond. 4

Verſuch einer Kriſtallographie, oder Beſchreibung der verſchiedenen unter dem Namen der Kriſtalle bekannten Körper des Mineralreichs eigenen, geometriſchen Figuren, mit Kupfern und Auslegungsplanen, durch den Hrn. DE ROMÉ DELISLE. *Aus dem Franz. überſezt mit Anmerkungen und Zuſätzen. Nebſt Hrn.* HILLS *Spaterzeugung, und Hrn.* BERGMANS *Abhandl. von Spatgeſtalten. Aus dem Engl. und Latein. überſezt von* CHR. EHRENFR. WEIGEL, *Greifswalde*, 8. *m. K.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 698.)

Principia diaetetica HERRMANNI BOERHAAVII auxit et praelectionibus Academicis accommodauit H. F. DELIVS, Erlang. 8.

POLYCHRON. DEMETRIVS ep. qua GALENVS ad-
versus VESALIVM defenditur, Lipſ. 4.

THOM. DENHAM'S *Abhandlung von dem Fieber der Kindbetterinnen. Aus dem Engliſchen, Altenb.* 8.

Analyſe et examen chimique de l'Indigo. Par. M. Q. DIJONVAL. à Paris 4.

C. DOSLERN diſſ. ſiſtens diuiſionem oleorum in genere, Vindobon. 8.

WILH. DRESKY de valeriana officinali LINNEI, Erl.

Die verbeſſerte Landwirthſchaft, nebſt einem Anhang von der Glückſeligkeit eines Staats. Aufgeſetzt von H. G. VON DRESKY. *Als der 3te Theil der Schleſiſchen Landwirthſchaft, Breslau* 8. *m. K.*

Atlas minéralogique de France, ou connoiſſance géographique des différentes ſubſtances minerales & corps foſſiles, que ce royaume renferme, entrepris par les ordres de Mr. BERTIN, dressé d'après le plan, les voyages & les mémoires de Mr. GUETTARD, executé en totalité par M. DUPAIN-TRIEL, Ingenieur-Geographe du Roy.

La theorie du chirurgien, ou Anatomie générale & particuliere du corps humain, avec des observations chirurgicales ſur chaque partie. Par M. DURAND, à Paris 8. Voll. 2.

De la vigne par Mr. DURIVAL le jeune, à Nancy. (*Hic tractatus coronatus ab Academia Regia Scientiarum et Artium Metenſi eſt.*)

Naturlehre für die Jugend, herausgegeben von IAC. EBERT, *3ter Band, Leipz.* 8. *m. K.*

G. P. EHLEN de fontibus medicatis prope Kiſſingen et Boclet. Würzburg. 8.

Index in PHIL. AMBR. MARHERR praelectionum BOERHAAVII inſtitutiones medicas Tom. III. notatu maxime dignas exhibens a IAC. VOEGLIN VAN ENGELEN, L. B. 8.

IO. CHR. POLYC. ERXLEBEN ſyſtema regni animalis per claſſes, ordines, genera, ſpecies, varietates

cum ſynonymia et hiſtoria animalium. Claſſis I. Mammalia, Lipſ. 8.

I. C. P. ERXLEBEN *phyſikaliſche Bibliothek oder Nachricht von den neueſten Büchern, die in die Naturgeſchichte einſchlagen, 4ter Band, Götting.* 8.

EIVSD. *Anfangsgründe der Naturlehre, 2te ſehr verbeſſerte und vermehrte Auflage, ib.* 8.

CHRIST. GOTH. ESCHENBACH ep. de glandularum meſaraicarum in chylum actione, Lipſ. 4.

EIVSD. ep. de ſpermate ad ſanguinem non regrediente, ib. 4.

I. F. ESCHENBACH diatribe de phyſiologia ſeminum, ib. 4.

Die Schmetterlinge in Abbildungen nach der Natur mit Beſchreibungen von E. I. F. ESPER, *2-6 Heft, Erl.* 4.

Vollſtändige Abhandlung von der Erkenntniß und Kur der veneriſchen Krankheiten. Aus dem Franzöſiſchen des Hrn. FABRE *überſezt von* C. FR. SCHROEDER, *mit einer Vorrede und Anmerkungen von* D. IO. CLEM. TODE, *Koppenh.* 8.

FABRICII genera inſectorum (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 19.)

De ſalubritate et morbis Hungariae. Auctore FR. I. FUCKER, Lipſ. 8.

W. FALCONER's *Verſuch über die mineraliſchen Waſſer in warmen Bädern, 2 Bände. Aus dem Engliſchen überſezt von* C. F. S. HAHNEMANN, *Leipz.* 8.

EIVSD. experiments and obſervations in three parts: I) on the diſſolvent power of water impregnated with fixible air, comparated with ſimple water, relative to medicinal ſubſtances. II) on the diſſolvent power on the urinary calculus. III) on the antiſeptic power of water etc. Lond. 8.

Experimental enquiries, Part the third etc. Being the remarking part of the obſervations and experiments of the late Mr. WILLIAM HEWSON. By MAGNUS FALCONER, ib. 8.

FALK *vom Queckſilber* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII p. 499.)

LE FEBURE V. ILDEPHONT.

CHRIST. GOTH. FELLER obſ. de vtero canino Lipſ. 4. c. f.

Udförtig Afhandling om Bier, og en for Dannemark og Norge nyttig Bie-Arles Anlag, ved ESAIAS FLEISCHER, Koppenhagen 8.

HENR. FOUQUET praelectiones medicae, Monspelii.

A voyage round the World, in his Britannic Majeſty's Sloop, Reſolution, commanded by Capt. JAMES COOK during the Years 1772-75. By GEORGE FORSTER, (*v. ſupra p.* 221.)

Recherches philoſophiques ſur la nature de l'air nitreux & de l'air dephlogiſtique. Par Mr. l'Abbé FELIX FONTANA, à Paris 8. (*Idem liber Germanice prodiit Vindobonae in forma octaua ſtudio* X. VON WASSERBERG.)

Kritiſche Unterſuchung der alten und neuen Art die Krankheiten der Harnröhre zu behandeln, nebſt einer verbeſſerten Methode ſie zu heilen von JESSE FOOT. *Aus dem Engliſchen, Altenburg* 8.

I. L. FOURNIER diſſ. chemico-medica de metallis Vienn. 8.

MATTH. IOS. FRANZMADHES *Betrachtungen über verſchiedene Gegenſtände des Forſtweſens nach dem Leitfaden der Reiſen des Herrn* PALLAS und LEPECHIN, I *Band, Frankf. m. K.*

Förſök til en ſyſtematiſk inledning i ſwenska Landbruket. Auctore GADD.

F. A. GALLISCH diſſ. corporum vi aëris mutatorum exempla continens. Reſp. *C. F. Ludwig*, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de aëris in corpus humanum v. ib. 4.

EIVSD. ep. de valetudine verna, ibid. 4.

I. I. GARDANE'S *Unterſuchung der bey der Heilung der Venuſeuche gebräuchlichen verſchiedenen Arten.*

dem Franzöſiſchen von D. I. H. GLADBACH, *Sorau* 8.

Der verbeſſerte Weinbau. Eine Abhandlung Herrn G. F. GAVPPENS, *Stuttgard* 8. *m. K.*

A ſelect number of ſcirrhous and cancerous caſes ſucceſsfully treated, with hout cutting by the peculiar remedy of MELMOTH GUY, 8.

F. GEBHARDI aduerſaria medica, Baſil. 8. c. f.

IO. CAROL. GEHLER diſſ. inaug. de oleoſis pinguibus rancidis, Auct. et Reſp. *Io. Chriſt. Fried. Aemil. Hendrich*, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de ſanguinis ex parte ſiderata per venam eductione. (*v. ſupra*)

